

DE IONE FABVLA EVRIPIDEA

QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMLOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS
DIE XVIII MENSIS DECEMBR. A. CIOCCCCLXXX HORA XII
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

LUDOVICVS ENTHOVEN
ROTERODAMVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

FRIDERICVS MARX STVD. PHIL.
CAROLVS BRANDIS STVD. PHIL.
AVGVSTVS KALKMANN STVD. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGII VNIV. TYPOGR.

CIOCCCCLXXX.

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

S.

Franisco Baucheller

Hermanno Asenier

2

- I. De tempore quo fabula acta est p. 7.
II. De antro Apollinis Panisque p. 22.
III. Animadversiones exegeticae et criticae p. 39.

De tempore quo fabula acta est p. 7.
De antro Apollinis Panisque p. 22.
Animadversiones exegeticae et criticae p. 39.

- I De tembre du temps veut est
II De tute Hollins Bame
III Tuncyberie exegitione et outre

I.

Wilamowitzius in Anal. Euripid. p. 154 de tempore quo Ion fabula Euripidea acta sit, haec adnotat: „Tempori huius fabulae, ceteris dissimillimae, certi termini nondum circumscripti sunt, praeterquam quod numeri ultra olympiadem octagesimam nonam revocari eam non sinunt.“¹⁾ Quod rectissime dicit, re enim vera omnes qui adhuc in huius fabulae tempore adcuratius definiendo elaborarunt, debilissimis argumentis nisi sunt fucatisque magis quam veris. Velut Boeckhius²⁾ de hac re sic scripsit: „Agi haec <sc. parodum> in porticu Delphica manifestum est e vs. 184, ubi sunt εὐκίονες αὐλαί, et vidit hoc iam Tyrwhittus; Musgravius autem per prolepsin designatam hic putat eam stoam esse, quam devictis ad Rhium Lacedaemonii a Phormione Ol. LXXXVII 4 (Thucyd. II 84, Diod. Sic. XII 48) Delphis Athenienses aedificaran ex praeda atque ornaverant. Paus. X 11,6. Utrum Rhium sit, nihil interest: Molyericum intelligit Dodwellus Annal. Thucyd. p. 657. Quod si verum est, Ion acta erit non multum post Ol. LXXXVII 4, et hoc non

1) Idem in libro nuper prime edito a se et Kiesslingio: „*Philol. Untersuch. I Aus Kydathen*“ p. 44 adn. 73 haud multum ante expeditionem Siciliensem Ionem actam esse ponit; vellem probasset etiam.

2) Graec. tragoeed. princip. etc. p. 191.

dissimile veri, praesertim cum vs. 1592 praeter necessitatem promontorium Rhium commemoratum sit, quippe ut fausto gratoque nomine Athenienses delectarentur. Praeterea imagines sunt totae Atticae, Atticoque donario maxime convenient, sive eas in tabula descriptas sive aulaeis intextas putes, quod potissimum placet Boettigero de fur. person. p. 14 nec mihi aliter.“ Quae Boeckhii argumenta iam Hermannus Zirndorfer vidit futilissima esse. „Caussae“, inquit¹⁾, „quibus hoc probare studet, mihi quidem nullo modo persuadere possent, etiamsi metrum et oeconomia huic sententiae non obstarent. Secundum argumentum omnino nullius momenti est, quod huius promontorii mentio fit ad locum aliquem accuratius definiendum, prius autem mera conjectura nititur, neque quidquam toti fabulae inest, quod illam rem Euripidem respicere ostendat.“ Adcedit quod egregie fallitur Boeckhius, cum parodum in porticu aliqua agi voluerit: εὐκίονες αὐλαί quasi ἐν παρέργῳ tantum nominantur, res, id quod infra dilucescet, ante ipsum agitur templum Apollinis Pythii, cuius imagines in metopis sculptas cum admiratione conspicit describitque chorus puellarum Atticarum. Versum vero 1592 postea demonstrabitur omnino Euripidi esse ab iudicandum.

Sententias Godofredi Hermanni qui ex numeris versuum fabulam hanc nec post Ol. 89 nec multo prius factam esse conligit²⁾, et Hartungii qui circa Ol. 88,2 fabulam actam esse statuit³⁾, Fuettererus⁴⁾ ita refutavit, ut hunc attulisse satis esse videatur. Idem ne Fixii quidem rationem perspexit firmorem esse, qui circa Ol. 90 tragoediam scriptam esse censem⁵⁾ tali in primis arguento usus quod

1) De chronologia fabul. Euripid. p. 80.

2) Ion p. XXXII.

3) Euripid. Restitut. I p. 451.

4) de Euripidis Ione. Diss. Monasterii 1867 p. 13 sqq.

5) Euripid. fabul. Parisiis 1843 p. X.

etiam ad tempus expeditionis Siciliensis valeat, a qua modico tantum intervallo distare vult fabulae aetatem Fuettererius, in universum faciens eum Zirndorfero. Pro certo statui posse ei videtur Ionem circiter intra annos 413—411 et scriptam et actam esse, quod congruit fere cum eo quod ego de huius fabulae tempore inveni, licet annum ipsum indicari posse persuasum habeam. Neque tamen omnibus quae Fuettererius ad sententiam suam fulciendam profert argumentis, adsentior. Quem enim altero loco ponit syllogismum¹⁾, „si fabularum de quarum aetate constet, priores infelicem, posteriores felicem exitum habeant, merito quodam iure retro licere colligi *(sic!)* eas fabulas de quarum aetate nihil certi constet quaeque infelicem sive tristem exitum habeant, priore, quae felicem sive hilarem, posteriore tempore scriptas esse“, falsae propositioni superstructum esse facile intellectu est.

Quod vero ex Aristotelis de arte poetica libello paralogismo suo fidem adstruere studet, Stagiritae de optima tragœdiae forma sententia eum prorsus latuit²⁾.

Eo tamen nomine laudabimus Fuettererum, quod e numeris versuum solis definitum cuiusdam fabulae tempus effici posse negat, id tantum metri conformatio, si quidem certiora argumenta deessent, largiens, „ut cognoscamus quo fere tempore *(sic!)* scripta aliqua tragœdia sit“.

1) l. i. p. 18.

2) Abutitur F. definitione tragœdiae conclamata *(Aristot. περὶ ποίητ. c. 6 p. 1449 b 24 sqq.)* in qua explicanda turpissime lapsus est. Ut fabula sit bona, non sufficit rerum ex secunda fortuna in adversam commutatio *(c. 13 p. 1453 a 14 sqq.)*. C. 7 p. 1451 a 10 sqq. etiam eius quam damnat F., commutationis ratio habetur. cf. etiam c. 18 p. 1455 b 26 sqq. et Vahlen.: „Beitr. zu Aristot. Poët.“ II p. 46¹⁾. Nostræ fabulae ea est forma quam primario loco ponit Aristoteles cf. c. 10 p. 1452 a 16 sqq., c. 11 p. 1452 a 32 sqq., c. 14 p. 1454 a 4 sqq. et Lessing.: „Hamburg. Dramaturg.“ Ges. W. *(ed. Gust. Hempel)* VII p. 210 sqq.

Neque igitur comprobat argumentationem Zirndorferi qui inde quod in Iphigenia Taurica (acta a. 414 Zirndf.) multo minor solutionum numerus sit quam in Ione, et hac in fabula minor numerus quam in Helena (acta a. 412), ipsum annum 413 huic tragediae statuendum esse conlegerat¹⁾.

Postquam haec de aliorum rationibus praemonui, iam meam opinionem expromam. Tria sunt genera argumentorum, unde tempus fabulae nostrae determinare conatus sum. Primum ex numeris petitum est, ex inrisione Aristophanea alterum, tertium ex similitudine quae inter nostram et aliam Euripidis tragediam intercedit. Atque ut deinceps singula tractemus, primo loco agendum est de numeris.

Si verum exploratumque est versus senarios antiquiorum tragediarum severiore lege adstrictos esse quam earum quae post Ol. LXXXIX sunt actae et ex hisce eas quae magis ab illo termino remotae sunt, maiorem exhibere solutionum numerum eis quae proprius absunt, concludendum est non nihil momenti ponderisque ad tempus posterioris alicuius tragediae constituendum esse in comparatione numeri solutionum quae in hac et in aliis quibusdam inveniuntur eiusdem aetatis: adsequemur haec ratione quasi cancellos, quibus ab utraque parte tempus fabulae de qua agitur, saepiatur, cum adcuratior definitio nisi per alia argumenta adcedentia non sit futura. Atqui cum ea opinione mentem praeoccupatam haberem, eam fere aetatem quam indicavit Zirndorferus, Ioni adsignandam esse, solutiones quae in Ionis senariis obcurrunt et quae in proximis fabulis Troadibus, Iphigenia Taurica, Helena, computavi et inter se contendi. Intellego autem pedes tribrachos, dactylos, anapaestos, secludendas putavi quae in nominibus propriis fiunt solutiones, sive tres nominis proprii syllabae pedem solutum efficiunt, sive distributa est solutio in duas syllabas nominis proprii et unam alias vocabuli. Neque

1) I. i. p. 19. cf. C. F. Mueller, de pedibus solutis p. 149 sq.

vero tanta sum fiducia, ut in numeris meis tamquam in calculo certo ratoque adquiescere quemquam postulem: qui quam sint dubii et incerti, inde potissimum cognoscere licet, quod cum ut comparatio fieri posset, seniorum singularum tragoeiarum numerus subduci deberet, excludendi erant versus spurii; qua in re licet quam potui cautissime egerim, ita ut solummodo eorum rationem non habuerim, quos necessariis argumentis interpolatos esse evinci potest, adhibuerim contra quotquot lacunae replendae inservire et genuinorum versuum in locum cessisse adparet, vereor tamen ne inter eos quoque in quibus equidem non obfenderim, inventiantur qui interpolatori tribuendi sint. Quo monito ne diutius te teneam, iam solutionum tabulam tibi propono.

	Tribachi	Dactyli	Anapaesti	Summa
I.	Troad.	13 . . .	15 . . .	16 . . . 44
	Iph. T.	13 . . .	24 . . .	26 . . . 63
	Ion.	17 . . .	23 . . .	26 . . . 66
	Hel.	20 . . .	27 . . .	29 . . . 76
II.	Troad.	20 . . .	—	— . . . 20
	Iph. T.	29 . . .	—	— . . . 29
	Ion.	43 . . .	—	— . . . 43
	Hel.	42 . . .	—	— . . . 42
III.	Troad.	18 . . .	68 . . .	— . . . 86
	Iph. T.	34 . . .	93 . . .	— . . . 127
	Ion.	32 . . .	82 . . .	— . . . 114
	Hel.	50 . . .	118 . . .	— . . . 168
IV.	Troad.	11 . . .	— . . .	— . . . 11
	Iph. T.	26 . . .	— . . .	— . . . 26
	Ion.	20 . . .	— . . .	— . . . 20
	Hel.	46 . . .	— . . .	— . . . 46
V.	Troad.	1 . . .	— . . .	(oblitio) 1
	Iph. T.	—		
	Ion.	2 . . .	— . . .	— . . . 2
	Hel.	7 . . .	— . . .	— . . . 7

Summa omnium solutionum:			
Troad.	Iph. T.	Ion.	Hel.
162	245	245	339.

Atqui cum in Troad. exstant	774	senarii,	
in Iph. T.	1058	"	
in Ione	981	"	
in Helena	1235	"	
singulae obcurrunt solutiones in Troad. in quoque	4,77	vers. sen.	
in Iph. T.	4,31	"	
in Ione	4,00	"	
in Hel.	3,64	"	

Hinc, si quid numeris dabimus, efficitur Ionem fabulam post Troadas, ante Helenam esse ponendam, ita ut magis quam ad illas, ad hanc adcedat tempore. Iam cum Troadas anno 415 a. Chr. actam esse constet, Helena vero ad annum 412 pertineat, horum annorum claustris tempus quo Ion est docta, coërcetur: propinquius vero anno 412 quam 415. Eadem discriminum intervalla cernuntur tribrachorum qui in quaque fabula exstant, numeris inter se compositis, sicuti ex sequente indice perspicere licet.

Singuli obcurrunt tribrachi				
in Troad.	in quoque	12,28	vers.	sen.
in Iph. T.	"	10,37	"	"
in Ione	"	8,59	"	"
in Hel.	"	7,48	"	"

Omnino poetam nequaquam ad arbitrium solutionibus uti singulorum docet comparatio pedum quorum solutio congruentem inter se in quaque fabula habet rationem. Maximum semper numerum exhibet pes tertius quem sequitur primus cum dimidia fere parte; alter pes dimidiad circiter partem habet primi pedis solutionum, cum quarti pedis varia sit ratio¹⁾.

1) Ex numeris propositis fortasse etiam certius quid ad Iphigeniae Tauricae tempus constituendum evadet.

Iam ut ipsi anno 412 quo et Andromeda et Helena prodiere in scaenam, etiam Ionem tribuendam esse existimem, hisce addueor rationibus. Seitis quantas agat partes in Ione Panis antrum quo Creusam, Erechthei filiam, invitam dicit Apollo, ubi Ion unde nomen traxit fabula, a matre iram parentum pertimescente exponitur, quod antrum plurimis locis commemoratur describiturque. Nonne miramur quod in Lysistrata Aristophanea Cinesias eundem sibi eligit locum ubi concubat cum Myrrhina? Agitur de versibus 909 sqq.:

KIN. ιδοὺ τὸ μέντοι παιδίον καὶ δὴ κποδών,

σὺ δ' οὐ κατακλίνει; MYP. ποῦ γὰρ ἂν τις καὶ τάλαν

δράσει τοῦθ'; KIN. ὅπου; τὸ τοῦ Πανὸς καλόν.

MYP. καὶ πῶς ἔθ' ἀγνή δῆτ' ἂν ἔλθοιμ' ἐς πόλιν;

KIN. κάλλιστα δήπου λουσαμένη τῇ Κλεψύδρᾳ.

Póliς quae in vs. 912 commemoratur, est arx Athenarum ή ἀκρόπολις quam mulieres auctore Lysistrata occuparunt et tam diu obtinere constituerunt remotae a coniugum domo lectoque, donec pacem inire cum Lacedaemoniis in animum inducerent. Huc venit Cinesias ut Myrrhinam paulisper ex arce in Panis antrum sub arce situm abducatur: quod quam non perpetret et quam lepide ab uxore ludificetur, notum est.

Mirandum esse dixi quod hunc ipsum locum Cinesias quo sese conferant, proponit: nimirum quia a sede sacrata et divinorum quorundam numinum signa arasque continente coniugale illud negotium nimisquam abest eoque ne locus ille inquietetur conspureeturque, timendum est. Quod ut ita fingeret si statuimus Aristophanem Ionis fabulae exemplo commotum esse verumque est comicos res proximas et recentes needum e spectatorum mente memoriaque elapsas in ludibrium vertere solitos esse solereque, verisimile, opinor, est Ionem paulo ante Lysistratam esse actam quam cum

anno 411 a. Chr. actam esse sciamus, ad annum proxime antecedentem 412 Ion referatur velim.¹⁾

Adcedunt alia: atque ei quidem rei multum tribuere nolo quod versus Lysistratae 713:

ἀλλ' αἰσχρὸν εἴπειν καὶ σιωπῆσαι βαρύ
quem cum scholiasta adnotaverit „ἐξ Εὐριπίδου“, Nauckius inter incertarum Euripidis fabularum fragmenta recepit,²⁾ ad exemplum Ionis versum 859—861:

ὦ ψυχά, πῶς σιγάσω;

πῶς δὲ σκοτίας ἀναφήνω

εὔνάς, αἰδοῦς δ' ἀπολειφθῶ;

confictus esse videtur, ubi illud πῶς σιγάσω Aristophanes per σιωπῆσαι βαρύ, αἰδοῦς δ' ἀπολειφθῶ per αἰσχρόν reddiderit. Sed potest haec sententiae magis quam verborum similitudo fortuita esse. Neque quidquam concludendum est ex formae concentu qui inter versum Lysistratae 128:

ποιήσετ' ἢ οὐ ποιήσετ'; ἢ τί μέλλετε;
et Ionis versum 758:

εἴπωμεν ἢ σιγώμεν; ἢ τί δράσομεν;

intercedit. Communis enim est hic interrogationis modus tripertitus comoediae et tragediae; invenitur praeterea:

Eur. Heracl. 383: μέλλουσιν ἢ πάρεισιν; ἢ τί πυνθάνει;
Aesch. Sept. 202: ἥκουσας ἢ οὐκ ἥκουσας; ἢ κωφῇ λέγω;

Attamen Ionis et Helenaee fabularum deprehendisse mihi videor similitudinem quandam manifestam, ad verba,

1) Dubitatio quae de opinione supra prolata oriri possit ex observatione quadam Wilamowitzii qui Anal. Euripid. p. 179 Aristophanem fabulas Atticas et historicas Euripidis „vix semel bisve neque semper inridendi causa respicere“ vidit, mitigata illa quidem inde quod „Ionem, si ad genus fabulae spectas, secundae aetati adscribendam, externa forma posterioribus similem esse“ ne illum quidem virum doctissimum fugit, cum etiam tempus a nobis constitutum tertiae aetati conveniat, prorsus conlabitur.

2) Fg. 876; cf. eundem ad Euripid. fg. 487.

dictiones, sententias pertinentem talem quae explicari nequeat, nisi duabus his fabulis componendis poetam eodem fere tempore vacasse ponemus. Atque ut ipsi iudicare possitis, en habetis Ionis et Helenae locorum conspectum in quibus aliquid similitudinis inest:

Ionis

vs. 7. τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα θεσπίζων ἀεί.

8. ἔστιν γὰρ οὐκ ἀσημος Ἐλλήνων πόλις.

256sq. οὐδὲν μεθῆκα τόξα· τάπι τῷδε δὲ | ἐγώ τε σιγῶ καὶ σὺ μὴ φρόντιζ' ἔτι.

258. τίς δ' εἰ; πόθεν γῆς ἥλθες;

259sqq. ὄνομα τί σε καλεῖν ἡμᾶς χρεών; — Κρέουσα μέν μοι τούνομος, ἐκ δ' Ἐρεχθέως | πέφυκα, πατρὶς γῆ δ' Ἀθηναίων πόλις.

403. μῶν χρόνιος ἐλθών σ' ἐξέπληξ' ὁρβωδίᾳ;

521. οὐ φρονῶ, τὰ φίλταθ' εὔρωντεὶ φιλεῖν ἐφίεμαι;

522. παῦν· μὴ ψαύσας τὰ τοῦ θεοῦ στέμματα ρήξης χερί.

Helenae

vs. 14. τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα πάντ' ἡπίστατο.

16. ήμιν δὲ τῇ μὲν πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος.

156sq. ὅτου δ' ἔκατι, μήτε σὺ ζήτει μαθεῖν | ἐγώ τε σιγῶ· τί γὰρ ἀν ὀφελοῦμί σε;

83. τίς δ' εἰ; πόθεν τῆς τῆσδ' ἐπεστράφης πέδον;

86sqq. τίν' ἐξαυδάν σε χρή; — ὄνομα μὲν ἡμῖν Τεῦκρος, δὲ φύσας πατήρ | Τελαμῶν, Σαλαμίς δὲ πατρὶς ἡ θρέψασά με.

566. ὦ χρόνιος ἐλθὼν σῆς δάμαρτος ἐς χέρας.

575. οὐ που φρονῶ μὲν εὖ, τὸ δ' ὅμμα μου νοσεῖ;

567. μὴ θίγης ἐμῶν πέπλων.

524. οὐκ ἀπαλλάξει; 437. οὐκ ἀπαλλάξει; ^{οἰδε}
 541. τερφθεὶς τοῦτο 536sq. ἐγὼ δὲ ἀπέστην
 κεῖν' οὐκ ἡρόμην. ^{αὐτοῖς} τοῦτ' ἐρωτήσαι
 σαφῶς, | ἡσθεῖς
 ἐπεί νιν εἴπε μοι
 σεσωσμένον.

576. ἀλλ' ἐκλιπῶν θεοῦ
 δάπεδ' ἀλητείαν
 τε σήν.

725sq. ὥ πρέσβυ παιδαγώγ
 Ἐρεχθέως πατρός, |
 τούμοιν ποτ' ὥν
 τόθ'¹), ἡνίκ' ἦν ἔτ
 ἐν φάει.

735sq. ὥ θύγατερ, ἄξι' ἀξίων
 γεννητόρων | ἥθη
 φυλάσσεις κούκατ-
 αισχύνας ἔχεις.

850sq. ἐγὼ μὲν οὖν σοι
 καὶ συνεκπονεῖν
 θέλω | καὶ συμ-
 φίονεύειν πᾶδι.

854sqq. ἐν τάρτιοις δούλοι-
 σιν αἰσχύνην φέρει, |
 τούνομα τὰ δὲ ἄλ-
 λα πάντα τῶν ἐλευ-
 θέρων οὐδεὶς κακίων
 δούλος, δστις ἐσθλὸς
 ἦ.

888sq. εὗτ' εἰς κόλπους
 κρόκεα πέταλα φά-
 ρεσιν ἔδρεπον.

934. τὴν δὲ ἐνθάδ' ἐκλι-
 ποῦς ἀλητείαν πι-
 κράν.

4. Πρωτεὺς δὲ ὅτ' ἔζη,
 τῆσδε τῆς τύραννος

720sq. οὐκ ἄρα τέροντα
 πατέρα καὶ Διοσκό-
 ρω | ἥσχυνας. ⁸²⁵

327sq. θέλω δὲ κάγῳ σοὶ
 συνεισελθεῖν δό-
 γματικούς μους | καὶ συμπυθέ-
 σθαι παρθ. θεσπ.

728sqq. ἐγὼ μὲν εἴην, κεὶ
 πέφυχ' ὅμως λάτρις, |
 ἐν τοῖσι γενναίοισιν
 ἥριθμημένος | δούλοι-
 σι, τούνομ' οὐκ ἔ-
 χων ἐλεύθερον, | τὸν
 νοῦν δέ.

244sq. ὅς με χλοερὰ δρε-
 πομέναν ἔσω πέ-
 πλων ρόδεα πέταλα.

1) Sic illud ὄντος codicum correxi consentiens in hac coniectura,
 ut ex Herwerdeni adnotatione cerno, cum Weckleinio.

998. τί δῆτα, θύγατερ,
τοῦτο σοῖς ἔχθροῖς
βλάβος;
- 1106sqq. κλεινὴν, γυναικες, ποὺ
κόρην Ἐρεχθέως |
δέσποιναν εὔρω; παν-
ταχῇ τὰρ ἄστεως |
Ζητῶν νιν ἐξέπλησσα
κούκ ἔχω λαβεῖν.
1196. κὰν τῷ δε μόχθῳ. 101. καὶ δὴ τί τοῦτ' Αἴ-
αντι γίγνεται κακόν;
- 1106sqq. 597 sq. Μενέλαε, μαστεύων
σε κιγχάνω μόλις | πά-
σαν πλανηθεὶς τήνδε
βάρβαρον χθόνα.
1196. 1537. κὰν τῷ δε μόχθῳ.

Neque vero inter hosce fines continetur harum fabularum similitudo, sed latius porrigitur. Argumenti summa eadem est: in utraque a Mercurio, deorum ministro, in aliam terram clandestino aliquis subripitur, in cuius recognitione atque in patriam reductione cardo fabulae vertitur. Reductioni in utraque gravia obferuntur obstacula quae in fine fabulae deus ex machina prodiens dimovet. Denique etiam multarum in duabus tragœdiis scaenarum una est ratio atque nota, conferatur e. gr. ea in qua Helena adgnoscitur a Menelao cum ea in qua Xuthus Ionem invenit. Flores legens Helena a Mercurio deprehenditur, flores legens Creusa opprimitur ab Apolline. Unde quid conligendum sit, supra indicavimus.

Itaque cum iam exploratum esse mihi videatur anno 412 a. Chr. Ionem fabulam esse actam, simul hinc nanciscimur terminum, ante quem tympana metopasque templi delphici sculpturis exornata esse necessarium sit. Neque enim illud διδύμων προσώπων καλλιβλέφαρον φῶς 189 apte dici potuit de tympanis omni artium ornamento parentibus¹⁾ neque in vss. 190—218 quin quinque meto-

1) Versus 184—189 duplēm continent comparationem, quarum utriusque alterum membrum deest. Ad οὐκ ἐν ταῖς Ζαθέαις Ἀθάναις—Θεραπεῖαι supplendum: ἀλλὰ καὶ ἐν Δελφοῖς; ad ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξίᾳ τῷ Λατοῦς — φῶς: ώς ἐν Ἀθάναις.

parum imagines sint descriptae, homini sano dubitare licet. Ad alterum terminum inveniendum ex uno loco ubi ornatus tympanorum templi Apollinis commemoratur, nihil certius luceramur. Legitur apud Pausaniam X 19,4 ita:

Τὰ δὲ ἐν τοῖς ἀετοῖς, ἔστιν Ἀρτεμίς καὶ Λητώ καὶ Ἀπόλλων καὶ Μούσαι, δύσις τε Ἡλίου καὶ Διόνυσός τε καὶ αἱ τυναῖκες αἱ Θυιάδες. τὰ μὲν δὴ πρῶτα αὐτῶν Ἀθηναῖος Πραξίας μαθητής Καλάμιδος ἔστιν ἐργασάμενος χρόνου δὲ ὡς ὁ ναὸς ἐποιεῖτο <?> ἐγγινομένου Πραξίαν μὲν ἔμελλεν ἀπάξειν τὸ χρεών, τὰ δὲ ὑπολειπόμενα τοῦ ἐν τοῖς ἀετοῖς κόσμου ἐποίησεν Ἀνδροσθένης, γένος μὲν καὶ οὗτος Ἀθηναῖος, μαθητὴς δὲ Εύκαδμου. Ex quattuor quorum hic mentio fit, artificibus Calamis tantum aliunde notus est quem cum Brunnius recte statuerit circiter Ol. 80 in flore aetatis fuisse ¹⁾, Praxiae discipuli opera inter Ol. 80 et 90 cadere potuere. Cum vero Praxias et adulescens etiamtum et aetate proiectior Calamidis institutione uti potuerit neque minus adulescentis quam senis, patet hinc definitum quidquam derivari non posse ²⁾.

Gravissimi vero est momenti id quod Welckerus suspicatus est ³⁾, laudavit Brunnius ⁴⁾, Euripidem in vss. 184 sqq. delphici templi recens ornamentum praedicantem respicere et ex adverso ponere sculpturas tympanorum Parthenonis. Ipsa Welckeri verba quibus opinionem suam probat, adferre mihi liceat. „Was ist auch“, inquit, „an sich selbst glaublicher, als dass die Bewunderung, welche das herrlichste Werk des grössten aller Künstler erregte, das Aufsehen, das es schon in seinem Entstehen machte, das kräftig und rasch

1) *Gesch. der griech. Künstler* I p. 126.

2) cf. Welcker.: „die Vorstellungen der Giebelfelder und Metopen an dem Tempel zu Delphi,“ *Mus. Rhen.* N. S. I p. 18 (*Alte Denkm.* I).

3) l. i. p. 19 sq.

4) l. i. p. 247 sq.

vor sich ging, unmittelbar die Anregung gab, dem für ganz Hellas mitgeweihten Tempel von Delphi die noch fehlende Vollendung durch die in dieser Zeit wunderbar fortschreitende Sculptur zu geben, so wie der neue Pallastempel gleichzeitig auf den Bau des andern Hellenischen Haupttempels in Olympia den entschiedensten Einfluss ausühte?“ Atqui cum Palladis templum postquam a. 454 incepta est exstructio, a. 438 magnis Panathenaeis sit confectum dedicatumque¹⁾, sequitur post annum 438 tympana et fortasse etiam metopas templi delphici sculpturis ornari esse coepita; absolutum fuit opus a. 412 multumque in eo temporis esse consumptum ex hac ipsa re verisimile fit, quod Praxias inter medium laborem diem supremum obiit.

Antequam ab hisce quaestionibus, si fas est dicere, chronologicis ad alias res nos convertamus, pauca etiam de exstructione templi delphici ipsius disserere iuvat. Tempus quo templum quod Pausanias quinto loco ponit²⁾, a Spintharo Corinthio aedificari coeptum est, definitur templi prioris a Trophonio et Agameda exstructi incendio quod Ol. LVIII 1 = 548 a. Chr. factum esse periegeta dicit³⁾. Neque tamen statim post novi templi aedificationem esse inceptam inde adparet, quod cum Pisistratus inde ab anno 552 usque ad annum 541 Eretriae exsulaverit⁴⁾, templum autem Trophonii et Agamedi anno 548 incendio deletum sit, si continuo Alemaeonidae novam dei aedem curandam suscepissent, verba Herodoti qui dicit Alemaeonidas πᾶν ἐπὶ τοῖσι

1) cf. Michaelis., Parthenon p. 9.

2) X 5, 13.

3) l. i.: κατεκαύθη δὲ Ἐρεικλείδου μὲν Ἀθήνησιν ἀρχοντος, πρώτῳ δὲ τῆς δυδόης διεμπιάδος ἔτει καὶ πεντηκοστῆς, ἦν Κροτωνιάτης ἐνίκα Διόγνητος.

4) cf. E. W. Fischer et A. Soetbeer: „Griech. u. Röm. Zeittafeln“ p. 134—136.

Πεισιστρατίδησι μηχανεομένους παρ' Ἀμφικτυόνων τὸν νηόν conduxisse¹⁾, intellegi prorsus non possent. Nam iam a. 552 rursus redierant Athenas neque tum quidem gratia oraculi delphici magno opere indigebant. Cum vero Pisistratus a. 541 adversariis apud Pallenam devictis tertium rerum potitus esset, fuit cur Alemaeonidae aedem, ut sacerdotum dei et Amphictionum favorem sibi conciliarent, conducerent moliendam. Tempus quod inter 548 et 541 interest, pecunia conligenda conquirendaque a Delphis qui vel in Aegyptum iter fecere²⁾, transactum esse puto.

Confecta erat aedificatio circiter annum 480; quamquam enim nondum rite dedicatum erat templum post pugnam apud Marathonā commissam, eodem vero tempore opus iam eo productum, ut Athenienses scuta aurata ex hostibus capta in epistylio suspendere possent³⁾, consecratum certe fuit ante pugnam Salaminiam: tradit enim Herodotus sacra aīma quae in conclavi deposita fuissent, ubi considebant qui deum consulturi erant quaeque vetitum erat tangere, cum Persarum exercitus Delphis adpropinquaret, divinitus prophetam ex templi penetalibus foras evecta repperisse⁴⁾. Quod Ulrichsius⁵⁾

1) V 62.

2) Herod. II 180.

3) cf. Paus. X 19, 4: "Οπλα δὲ ἐπὶ τῶν ἐπιστυλίων χρυσᾶ, Ἀθηναῖοι μὲν τὰς ἀσπίδας ἀπὸ τοῦ ἔργου τοῦ Μαραθῶνι ἀνέθεσαν. Quae verba cum Aeschin. c. Ctes. § 116, ubi titulus donis inscriptus hic esse dicitur: Ἀθηναῖοι ἀπὸ Μήδων καὶ Θηβαίων, δτε τάναντία τοῖς Ἑλλησιν ἐμάχοντο pugnant, si quidem ex vocibus καὶ Θηβαίων manifestum est hanc dedicationem armorum pugna apud Plataeas demum commissa factam esse. An statuendum est inscriptionem postea esse additam?

4) VIII 37. cf. M. P. Foucart: „Mémoire sur les ruines et l'histoire de Delphes.“ Archives des missions scientif. et litt. 2. série II p. 56.

5) Reisen u. Forsch. in Griechenl. I p. 72: „Ein Theil des

et Kayserus¹⁾ partem quandam templi nunquam absolutam esse aiunt, merae sunt fabulae. Plutarchum in vita Antonii c. 23 templum delphicum de quo confiendo Antonius cogitaverit, significare volunt, cum tamen templum quoddam Apollinis Megaricum designari apertissimum sit. Narrat ibi Plut., cum Antonius post proelium Philippense τὰς πρὸς ἔω πάσας ἐπαρχίας ἀργυρολογήσων in Graeciam profectus Atheniensibus et aliis modis benevolentiam suam praestitisset et πλείστας δωρεάς urbi dedisset, Megarenses quoque pulchri aliquid ei ostendere voluisse: βουλομένων δέ τι καὶ Μεγαρέων καλὸν ἀντεπιδείξασθαι ταῖς Ἀθήναις καὶ τὸ βουλευτήριον ἵδεν αὐτὸν ἀξιωσάντων ἀναβὰς καὶ θεασάμενος ὡς ἐπυνθάνοντο τί δοκοί, „μικρὸν μέν, ἔφη, σαπρὸν δέ.“ [πρὸς δὲ] καὶ τὸν τοῦ Πυθίου νεών κατεμέτρησεν ὡς συντελέσων τοῦτο γὰρ ὑπέσχετο πρὸς τὴν σύγκλητον. Adparet ut τὴν σύγκλητον, sic τὸν τοῦ Πυθίου νεών esse Megarensium. Loquitur de eo Pausanias I 42,5²⁾, postquam § 4 de curia verba fecit.

Porro quid de verbis scholiastae censendum sit qui ad Aeschin. c. Ctes. § 116 tradit templum delphicum diu imperfectum mansisse, donec Nero, imperator Romanorum, opus confecerit³⁾, docet scriptorum de sacrilego furore, quo in oraculum Apollinis saevierit, consensio. Neque enim tantum quingentas deorum hominumque statuas aheneas⁴⁾ et terram

Tempels blieb lange oder vielleicht immer unvollendet⁵⁾, doch ist ungewiss, welcher.“ p. 85, 5) Plut. Anton. 23.

1) Julius Kayser, Delphi p. 46 sq.: „Ein Theil desselben soll unvollendet geblieben sein — welcher, kann nur vermutet werden. Vielleicht veranlasste die Oertlichkeit dazu.“

2) τοῦ δὲ Ἀπόλλωνος πλίνθου μὲν ἦν ὁ ἀρχαῖος ναός· ύστερον δὲ βασιλεὺς ὕκοδόμησεν Ἀδριανὸς λίθῳ λευκοῦ.

3) λέγουσι δ' ὅτι ἔμεινεν ἔτι πολὺν χρόνον ἀτελῆς, ἔως οὗ ύστερον Νέρων, ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων, ἐπλήρωσεν αὐτὸν, ἐκεῖσε παραγενόμενος.

4) cf. Paus. X 7, 1.

Cirraeam¹⁾ ademit deo, sed etiam cum numen patricidae responsum negasset²⁾, ipsam voraginem, unde τὸ ἱερὸν πνεῦμα exibat, praeclusit mortuorum corporibus innectis³⁾. Denique Foucartius l. i. inscriptionem delphicam attulit alterius a. Chr. s.⁴⁾, ubi commemoratur ἀρχιτέκτων quis τοῦ ναοῦ Ἀγάθων qui καλῶς καὶ δικαίως τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ἔργων ἐποίη [σε. Sed cur de confectione potius templi quam de refectione alicuius partis sacrae aedis cogitemus qua deorum aedificia non minus, opinor, indigebant quam hominum?

II.

Propositum nobis est hoc capite quaerere, quonam loco Creusae vim ab Apolline adlatam Ionemque expositum esse Euripides voluerit. In quo problemate persolvendo multi iam ante nos viri docti operam conlocarunt: Goettlin-gius⁵⁾, Beuleus⁶⁾, Boetticherus⁷⁾, Pervanoglu⁸⁾, Lollingius⁹⁾,

1) cf. Cass. Dion. Epit. ΞΓ c. 14 (edit. Dindf. vol. IV p. 52, 2 sqq.).

2) cf. Schol. Lucan. Phars. V 113.

3) cf. Cass. Dion. l. i.; Philostrat. Ner. (edit. Kayser. vol. II p. 224, 4 sqq.).

4) cf. Waddington. et Lebas.: „Voyage etc.“ II nr. 840 p. 182.

5) *Die Apollgrotte der Akropolis von Athen*, Mus. Rhenan. N. S. vol. VII 1850 p. 1—15 (*Ges. Abh.* I p. 100 sqq.).

6) *l'acropole d'Athènes* I 1853 p. 153 sqq.

7) *Grottenheiligthum des Apollon und Klepsydra*, Philol. vol. XXII 1865 p. 69—98.

8) „Zur Topographie Athens“. *Neue Jahrb. f. Philol. u. Paedagog.* vol. 101, 1870 p. 49 sqq.

9) „Die Apollgrotte der Akropolis von Athen“. *Götting. Gel. Anz.* 1873, 3 p. 498—508.

Wachsmuthius¹⁾). Quorum virorum doctorum omnium sententias singillatim et exponere et refellere cum hanc ob causam alienum videtur, ne iterum iterumque nostrae disputationis tenorem interrumpere neve semel demonstrata repetere redintegrareque cogamur, tum quod solum siquid in hac re proficere vis, solidum est fundamentum, dico sanam poetae nostri interpretationem, apud illos frustra quaesiveris. Satis igitur habebo hic illic tantum, quando res feret, singulorum argumenta commemorare.

Iam ut ipsam causam adgrediamur, priusquam eos locos fabulae Euripideae unde aliquid ad id quod quaerimus, perspici possit, explicemus exutiamusque, videndum est de nomine Μακραί, cruce illa interpretum, quod quinque locis obcurrit. Primi lectio per omnes etiamnunc editiones vulgata inde a versu 8 haec est:

10

ἔστιν γὰρ οὐκ ἄσημος Ἐλλήνων πόλις,
τῆς χρυσολόγχου Παλλάδος κεκλημένη,
οὐ παῖδ' ἐξ Ἐρεχθέως Φοῖβος ἔζευξεν τάμοις
βίᾳ Κρέουσαν, ἐνθα προσβόρρους πέτρας
Παλλάδος ὑπ' ὅχθῳ τῆς Ἀθηναίων χθονός
Μακρὰς καλοῦσι τῆς ἄνακτες Ἀτθίδος.
ἀγνῶς δὲ πατρί τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον·
ταστρὸς διήγεικ' ὅτκον ὡς δ' ἥλθεν χρόνος, 15
τεκοῦσ' ἐν οἴκοις παῖδ' ἀπήγεγκεν βρέφος
εἰς ταύτὸν ἄντρον οὐπερ ηύνάσθη θεῷ.

Qui versus sic constituti non poterant non in eam inducere opinionem, quasi pars quaedam rupium borealium arcis Athenarum voce Μακραί insignita fuisset. Sed iam Goettlingius l. i. p. 3 in codice quodam Parisino exstare non προσβόρρους πέτρας, sed προσβόρροις πέτραις monuit quod comprobatum est testimonio Kirchhoffii qui utrumque

1) *Die Stadt Athen.* 1874 I p. 248.

unde recensio Ionis fabulae dependet, codicem προσβόροις *(sic!)* πέτραις, alterum, Florentinum 32,2, terminationes quarti casus superscriptas exhibere indicat recentiore demum manu. Hac genuina librorum manu scriptorum lectura nititur praeclara Useneri V. D. huius loci emendatio in Mus. Rhen. N. S. vol. XXIII p. 151 sqq. prolata qui versus 10—13 exturbatis additamentis spuriis sic legendos esse evicit :

[Παλλάδος] ταύτης ὑπ' ὄχθῳ *〈ταῖσι〉* προσβόρῳς πέτραις
 [⟨ἄς⟩ μακρὰς καλοῦσι]
 παιδὸς ἐξ Ἐρεχθίως τῆς ἀνακτος Ἀτθίδος
 [τῆς Ἀθηναίων χθονός]
 βίᾳ Κρέουσαν Φοῖβος ἔζευξεν γάμοις.

Unde iam pro comperto habendum est verba *〈ἄς⟩ μακρὰς καλοῦσι*, cum ex margine in contextum intruperint, de poetae sententia nihil nos docere.

Secuntur vss. 283 sqq.:

- I. Μακρὰὶ δὲ χῶρός ἐστ’ ἐκεῖ κεκλημένος;
- Κρ. τί δ’ ιστορεῖς τόδ’; ὡς μ’ ἀνέμνησάς τινος.
- I. τιμᾶ σφε Πύθιος ἀστραπαί τε Πύθιαι;
- Κρ. τιμᾶ τιμᾶς ὡς μήποτ’ ὥφελόν σφ’ ἰδεῖν.
- I. τί δέ; στυγεῖς σὺ τοῦ θεοῦ τὰ φίλτατα;
- Κρ. οὐδὲν ξύνοιδ’ ἀντροισιν αἰσχύνην τινά.

Plurifariam offendunt. Atque primum quidem nullo modo Euripiidi imputari potest anapaestus ex duobus vocabulis compositus in tertio pede vs. 285 Πύθιος ἀστρ. |¹)

1) cf. C. F. Mueller, de pedibus solutis p. 142: „Anapaestum duobus ex vocabulis compositum tolerari posse in tragico versu iam Porsonus negavit (praef. ad Hec. XXI). Mendosum igitur esse Ion. 285 „τιμᾶ σφε Πύθιος ἀστραπαί τε Πύθιαι“, iam dudum intellexere homines docti. Quotquot vero propositae sunt ad eum locum sanandum conjectuae, certam tamen omni ex parte et indubitatem medellam desiderare adhuc eum persuasum habeo.“ — Anapaestum in duo vocabula distributum, quo Aeschylus prorsus se abstinuit, So-

Schoemannus quidem vocem Πύθιος δισυλλάβως pronuntiandam vocaliumque synizesin statuendam esse putavit qua, licet Hermanno „hoc genus synizeseos in oraculis aliisque minus perite conditis versibus facilius quam apud tragicos ferendum“ videatur, sese in hac praesertim fabula, „multa alia negligentioris compositionis indicia offerente“ non offendit profitetur¹⁾. Sed, pace Schoemanni dixerim, nimis cupide multa Euripidis incuriae tribuisse mihi videtur quae iusta interpretatione aliisque artis criticae rationibus expediri possunt.

Porro perquam absurdum est duplicatum illud τιμῷ τιμῷ 286. Adsentior vero Herwerdeno cui non sine causa Nauckius ed. III dubitare videtur de sanitate scripturae versus 288; vix enim recte Creusam dicere se antro conscientiam esse alicuius dedecoris, quoniam sic dicendo nimis aperte id quod sibi adcedisset quodque mox quasi de amica sua narratura esset, Ioni aperiret. Neque tamen aut hic aut in superioribus versibus coniecturae locum esse arbitror. Adcedit enim quod tota diverbii series et ordo hosce versus repudiat. Ionem enim postquam primum de avi Creusae, Erichthonii, sorte atque historia eam interrogavit 265—274, secundo loco de Erechtheo patre 275—282, de avo et parente certiore factum iamiam exspectamus continuo de coniugis Creusae nomine et dignitate sciscitaturum esse.

Haec non mediocriter in causa fuerint cur totus hic locus a Leopoldo Schmidio Hamburgensi (mortuo a. 1870), olim seminarii nostri sodali, cuius argumenta ignoro, consentiente Usenero l. i. p. 153 pro spurio habitus sit. Cuius iudicium cum probandum ducamus, hoc quoque loco abstinentendum est.

phocles semel tantum est usus, solus admittit primus senarii pes tum, cum vocabula quae efficiunt solutionem, artissime iuncta sunt. Plerumque praepositio aliqua primum obtinet locum sequente substantivo sive pronomine. cf. eundem p. 121, 126, 138 sq.

1) Opusc. Acad. IV p. 112 sq.

Etiam tertius versus ubi Μακραί nomen legitur, 937
 ἄκουε τοίνυν οἶσθα Κέκροπίας πέτρας
 [πρόσβορόν ἄντρον, ἀς Μακρὰς κικλήσκομεν;]
 Euripidi abiudicandus est, sicut iam diu est cognitum.
 „Inclusum versum“, inquit Usenerus ibid., „ferri non posse
 cum et stichomythiae rationes et grammaticae doceant, tum
 et diarii classici „R“ criticus (vol. II fasc. III p. 615) et
 Badhamus ad Ionem p. 83 pviderunt.“

Quartus locus vss. 1397 sqq.:

Κρ. οὐκ ἐν σιωπῇ τάμα· μή με νουθέτει.
 δρῶ γὰρ ἄγγος οὐδὲ ζέθηκ’ ἔγώ ποτε
 σέ γ’, ὦ τέκνον μοι, βρέφος ἔτ’ ὅντα νήπιον,
 Κέκροπος ἔς ἄντρα καὶ Μακρὰς πετρηρεφεῖς
 praeclaram profecto interpolationum congeriem continet.
 Scilicet postquam Cobetus Var. Lect. p. 568 restituit codi-
 cum lectionem οὐζέθηκ’ a Lentingio olim in οὐδὲ ζέθηκ’
 mutatam, adparuit versum 1399 in quo etiam illud γε nullo
 modo explicari potest, ab aliena manu insertum esse. Se-
 quentem versum Paleio auctore delevit Dindorfius neque
 dissentit Herwerdenus. Sed ne versum 1398 quidem Euripi-
 deum esse puto: nam et idem versiculus οὐζέθηκ’ ἔγώ ποτε
 paulo inferius in versu 1413:
 σά γ’ ἔνδυθ’, οἵσι σ’ οὐζέθηκ’ ἔγώ ποτε
 denuo obcurrit, et vēhemens concitatio qua ardet Creusa,
 sobriam argumentationem qualem versus 1398 exhibet quam-
 que Ion nullo verbo respicit, praesertim in cardine totius
 fabulae prorsus respuere videtur. Denique cum ita et
 stichomythiae melius consulatur, temeritatis crimine liberi
 nobis esse videmur, si statuimus versum 1397: οὐκ ἐν σιωπῇ
 τάμα· μή με νουθέτει continuo subsequi debere versum 1401:

λείψω δὲ βωμὸν τόνδε κεὶ θανεῖν με χρῆ.

Restat igitur unus locus vss. 492 sqq.:

Ω Πανὸς θακήματα καὶ
 παραυλίζουσα πέτρα
 μυχώδεσι Μακραῖς,

495

ίνα χορούς στείβουσι ποδοῖν
 Ἀγραύλου κόραι τρίγονοι
 στάδια χλοερὰ πρὸ Παλλάδος
 ναῶν

perverse explicatus a plerisque. Goettlingius p. 4 ad παραυλίζουσα πέτρα 493 supplendum arbitratur Πανὸς θακήμασι conligitque verbo πέτρα alterum significari antrum quod Panis sedi finitimum fuerit: quem sequitur Boetticherus p. 69 sq. adn. 3. Goettlingi et Boetticheri adseclam sese ostendit Lollingius p. 501 sq. Qui si recte statuerent, dativus μυχώδεσι Μακραῖς 494 non haberet unde penderet. Omnia expedita erunt si mecum, id quod verborum conlocatio postulat, παραυλίζουσα πέτρα coniunges cum μυχώδεσι Μακραῖς. Neque id quidem verisimile est vocibus θακήματα et πέτρα alia alium locum indicari neque tamen cum Herwerdeno θακήματα καὶ πέτρα statuerim esse ἐν διὰ δυοῖν; sic potius existimaverim πέτραν esse rupem sub qua Panis antrum situm erat. Iam quonam ίνα 495 referemus? Puto ad μυχώδεσι Μακραῖς; itaque μ. M. Aglauri filiae choros egisse dicuntur¹⁾. Quod eum non in antro Panis fieri potuerit, eum rupes in qua Pan habitabat, Μακραῖς adiacuisse indicetur²⁾, voce Μακραί rupes boreales quae Panis antro finitimae in orientem versus porrectae erant, significatae esse videntur. Atqui Goettlingius p. 2 sq.

1) De duorum accusativorum χορούς-στάδια χλοερά cum verbo στείβειν coniunctione recte iudicavit Reuscherus in: „Annotatt. ad locos aliquot Ionis Euripid.“ (Progr. Gymn. Potsdam. Id. April. 1859) p. 5 sq. Statuit χορούς eum verbo στείβειν in unam quasi notionem coalescere, ita ut idem quod χορεύειν significet; huic notioni adjunctum esse accusativum spatii decursi στάδια χλοερά satis tritum poetis qui δραμεῖν ρόθια πεδία, διφρηλατεῖν οὐρανόν, διφρεύειν πέλαγος, κόμας ρῦμα δακρυόν τανύειν, βάσιν ἐφίστασθαι τίνα alia dictitarint.

2) Goettlingius p. 4 et Lollingius p. 502 ipsi antro, ubi Ion expositus est, nomen Μακραί imponunt.

demonstravit hanc vocem ad boreale arcis latus omnino non quadrare. Quid ergo? fatendum nomen Μακραί probabiliter explicari non posse.

Adde huius nominis praeter Euripidem apud nullum scriptorem veterem mentionem fieri nullumque quod sciam, grammaticum unum ex iis versibus, ubi nomen illud exstat, adferre.

His argumentis perquam gravibus motus iudico nomen Μακραί omnino ficticium esse, ortum ex depravatione verborum poetae. Pro

ΜΥΧΩΔΕCIMAKPAIC legendum
esse ΜΥΧΩΔΕCINAKPAIC i. e.

μυχώδεσιν ἀκραις paene nulla mutatione persuasum mihi est¹⁾.

Ακραι significant superiores rupium partes aptissimeque describunt sedem ubi Aglaurus colebatur — nam hic dicemus Aglaurum cum sororibus choreas duxisse — si quidem sacellum Aglauri non infimae rupium radici adiaciebat, sed in mediis rupibus πρὸ Παλλάδος (Πολιάδος?) ναῶν situm erat, ita ut paucarum scalarum via per rupes ad arcis aream duceret²⁾. Epitheton μυχώδεσιν ex ipsa rupium natura satis explicatur.

Haec vero quam deteximus, corruptio non ita antiquis temporibus poetae verba macula adspersit locique multi illi interpolati qui hac corruptione nituntur, non ex actorum officina prodierunt, cum plane obscurum esset quo-

1) Ex litera ν vocabulum praecedens terminante ortum est μ etiam Hel. 1139: τίς φησ̄ ἐρευνήσας βροτῶν μακρότατον πέρας εύρεῖν ubi recte Nauckius ἀκρότατον emendavit.

2) De situ Aglaurii cf. Leak.: „The topography of Athens“ p. 125—131; Beuleum p. 157 sqq.; Boetticher. Philolog. Suppl. III fasc. III et IV p. 339, Bericht üb. d. Unters. auf der Akropolis v. Athen im Frühjahr 1862 p. 218 sqq.; Goettling. p. 7 sqq.; Vischer.: „Erinner. u. Eindrücke aus Griechenland“ p. 166.

modo ea aetate nomen quod omnino ratum non fuit, auditoribus proponere licuisset: posteriori potius aetati imputabimus qua cognitio antiquitatum graecarum iamiam elapsa erat.

Novum igitur ita invenimus argumentum quare vss. 283 sqq., 937, 1400 propter alias causas proscripti pro spuriis habendi sint. Nomine illo quod nimis diu iam interpres ludificavit, exturbato videamus quid ex Euripide de loco ubi Apollo societatem cum Creusa inisse ferebatur, sciri possit, multifariam illo quidem per fabulam commemorato et descripto, sed semper ita tantum, ut poeta minimis videatur se Atheniensibus uti auditoribus qui locum illum cum cotidie videre conlustrareque oculis possent, definitiore descriptione non indigerent. Locus igitur quem Apollo ad nuptias cum Creusa celebrandas elegerat quoque illa Ionem extulit, ἄντρον nominatur in vss. 17, 502, 892, 958, 1494. Erat ὑπ' ὅχθῳ Παλλάδος i. e. sub arce Athenarum *ταῖσι* προσβόρδοις πέτραις 10 neque vero in mediis rupibus, sed radicibus πετρῶν Κεκροπίων 936 adiacens quod ostendit dictio παρ' ὀηδόνιον πέτραν 1482. Antrum cavum dicitur 31 λαβών βρέφος νεογνὸν ἐκ κοίλης πέτρας, quadam profunditate fuisse κοῖται ἄντρου 892 in quas Apollo dicit Creusam, ostendunt. Idem, ut uno saltem exemplo inlustrem qualia viri docti in hac quaestione sibi sumpserint argumenta, inde sibi perspicere videtur Lollinius l. i. p. 502 quod 348, 505, 951 antrum ferarum receptaculum fuisse perhiberetur; neque tamen nimis profundam speluncam fuisse, quia Creusa aves rapaces metueret ne puerum expositum dilaniarent 504. Adicere potuit 902 sqq.:

οἵμοι μοι καὶ νῦν ἔρδει

πτανοῖς ἀρπασθεὶς θοίνα

παῖς μοι καὶ σὸς τλάμων

et 1494 sqq.: ἀνὰ δ' ἄντρον ἔρημον οἰωνῶν

ταμφηλαῖς φόνευμα θοίναμά τ' εἰς

"Αἰδαν ἐκβάλλει.

Sed vereor ut tale quid ex poetae verbis conligi possit:

nam si Lollingio credimus, antra quae fere deis deabusque sacra habentur, feris latibula fuere. Neque tamen dubium esse potest, cuius generis fuerint illi θῆρες quos commemorat Euripides in vss.

348: Θῆράς σφε τὸν δύστηνον ἐλπίζει κτανεῖν.

504 sq.: πτανοῖς ἐξώρισε θοίναν θηρσί τε φοινίαν δαῖτα.

932 sq.: ποῦ θεῖναι πόλεως θηρσὶν φίλον τύμβευμ².

951: τέθνηκεν, ὡ γεραιέ, θηρσὶν ἐκτεθείς¹).

Homerus enim quem secutus Euripides 504 sq. θῆρας et πτανούς coniunxit cf. Od. w 290 sqq.:

ὅν που τῇλε φίλων καὶ πατρίδος αἴης

ἡέ που ἐν πόντῳ φάτον ἵχθύες, ἥ ἐπὶ χέρσου

θηρσὶ καὶ οἰωνοῖσιν ἔλωρ γένετ²)

quas feras hic simpliciter θῆρας vocat, de eisdem identidem distinctiore canum adpellatione utitur

II. A 4 sq.: αὐτοὺς δὲ ἐλάρια τεῦχε κύνεσσιν οἰωνοῖσί τε πάσι.

Θ 379: ἥ τις καὶ Τρώων κορέει κύνας ἥδ' οἰωνούς.

X 335 sq.: σὲ μὲν κύνες ἥδ' οἰωνοί ἐλκήσουσ' ἀϊκῶς.

Ω 411: ὡ γέρον, οὕπω τόντε κύνες φάγον οὐδ' οἰωνοί.

Ita Euripides quoque canum mentionem facit Hec. 1078, Heracl. 1050 sq., Herc. 568, Phoen. 1650. Canes igitur feri timor est ne ad arcis rupes vagati puerum expositum violent³). Itaque ex θηρίων quidem mentione de profunditate antri nihil effici potest in poeta praesertim qui rerum exaggeratione animos concitare studet. Μυχώδεσι quo

1) cf. Eur. Hec. 1073; Troad. 450; Phoen. 1602 sq.

2) cf. Hesiod. Op. 277 sq.; Soph. frg. 856, 9 sqq.; Eur. El. 896 sq.

3) Non inanem fuisse hunc metum docet Philochori trita illa apud Dion. Hal. de Din. c. 3 p. 637 R. narratio.

viri docti fere utuntur ut huius antri epitheto, sicut demonstravimus, non ad Panis sive Apollinis antrum pertinet, sed locum ubi Aglaurium situm est, describit.

Iam Goettlingius cuius auctoritatem secuti sunt Boetticherus, Lollingius, Wachsmuthius, ex duobus Ionis fabulae locis concludendum censuit antrum ubi Creusa a deo deprehensa est, diversum fuisse a Panis eavo. Dictum est de altero loco vss. 492 sqq. supra p. 26 sq. Alter inde a versu 936 sic legitur:

Κρ. ἀκουε τοίνυν οἰσθα Κεκροπίας πέτρας
[πρόσβορρον ἄντρον ἀς Μακρὰς κικλήσκομεν;]

Π. οἰδ' ἔνθα Πανὸς ἄδυτα καὶ βωμοὶ πέλας.

Κρ. ἐνταῦθ' ἀγῶνα δεινὸν ἡγωνίσμεθα.

Π. τίν'; ὡς ἀπαντῷ δάκρυά μοι τοῖς σοῖς λόγοις.

Κρ. Φοίβῳ ξυνῆψ' ἀκουσα δύστηνον τάμον.

Patet, quamdiu fides versus 937 non addubitabatur, fieri non potuisse, quin omnes Goettlingi sententiam amplecterentur. Intellegendum enim ad Πανὸς ἄδυτα καὶ βωμοὶ πέλας erat τῷ προσβόρρῳ ἄντρῳ, ut Panis sacellum antro Creusae perniciosissimo finitimum diceretur.

Postquam vero versum 937 interpolatum esse cognitum est, si ἐνταῦθα referremus ad Κεκροπίας πέτρας tantum, nimis vaga vastaque loci significatio data esset. Κεκρόπιαι enim πέτραι nihil sunt nisi rupes arcis quae ut tota Athenarum urbs et incolae, a Cecrope, urbis conditore primoque rege, nomen habebat. Omnes, opinor, qui integrum quidem ad rem adferunt iudicium, ἐνταῦθα dicent revocandum esse ad ἔνθα 938, ita ut sic de toto hoc loco statuendum esse arbitrer. Creusa iamiam pudore suum ipsius dedecus revelandi abieco postquam paedagogum qui quae leviter eam significantem audiuerat, penitus perspicere desiderat, monuit, ut animum verbis suis adverteret, locum indicare coepit ita, ut quaerat Cecropiaene cognitae sint ei rupes, ad quod ille sic respondet, ut praesensione quadam

usus id ipsum indiceet quod Creusa prolatura erat, quae res nemini mira videbitur qui aliquam quidem diverbiorum tragicorum habet cognitionem. Ibi, inquit Creusa, ubi tu as, apud adytum arasque Panis finitima rupibus Cecropiis certamen terribile subii. Vides quantopere hoc quadret ad loci descriptionem quae 1482 data est verbis παρ' ἀηδόνιον πέτραν.

Itaque cum olim omnes ex vss. 936 sqq. effici putarint sacellum Panis diversum fuisse a thalamo Apollinis, demonstrasse nobis videmur ipsum contrarium statuendum esse. Iam quam sententiam ex hoc loco elicimus, prorsus ea congruit cum tertio quodam loco qui ab omnibus qui in hanc quaestionem inquisiverunt, aut non animadversus aut certe non adhibitus est. Legitur in cantico illo ubi chorus celebrat Aglauri filias choreas ducentes

συρίγγων

ὑπ' αἰόλας ἵαχᾶς	500
ύμνων ¹⁾ , ὅταν αὐλίοις	
συρίζης, ὥ Πάν,	
τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις,	
ἴνα τεκοῦσά ²⁾ τις	
παρθένος, ὥ μελέα, βρέφος	
Φοίβω, πτανοῖς ἐξώρισε θοίναν	
Θηρσί τε φοινίαν δαῖτα, πικρῶν τάμων	505
ύβριν.	

1) De constructione verborum συρίγγων ὑπ' αἰόλας ἵαχᾶς ύμνων quae sana non esse credit Schoemannus Opusc. Acad. IV p. 145, egit Reuscherus l. i. p. 7 sq.

2) Aptum videtur hoc loco quaerere, ubi Creusa peperisse Ionem dicenda sit. Domi eam partum edidisse apertis verbis indicat Mercurius in prologi vss. 15 sqq.:

ώς δ' ἥλθεν χρόνος,

τεκοῦσ' ἐν οἴκοις παῖδ' ἀπήνεγκεν βρέφος
εἰς ταῦτὸν ἄντρον οὐπερ ηύνάσθη θεῷ.

Coniunctio ἵνα 502 cum tantum ad τοῖσι σοῖς ἐν ἄντροις
 <sc. Πανός> referri possit, evidentissime Panis antrum
 dicitur locus ubi Creusa filium exposuerit et ubi concubuerit
 cum deo.

Idem cognoscitur ex versu 344: τὸν παῖδ' ὅν ἔτεκεν ἔξέθηκε δωμάτων.
 Ad verbum enim vocem ἔξέθηκε intellegendam esse neque ad tollendi
 educandique officium recusatum pertinere vocabulis ἀπήνεγκεν 16,
 ἔξώρισε 504, βάλλω 899, ὁρίζει 1459, ἐκβάλλει 1496 satis, opinor,
 manifesto ostenditur. Goettingius quidem l. i. p. 1, adn. 1) ait hunc
 locum ubi Creusa res suas ita narraret, quasi alii adcidissent, cum di-
 ligentiam veri sibi non vindicaret, non favere versui 16. Sed ubi tan-
 dem hic aliquid parum adequare dictum est aut quod non congruat
 cum eo quod de se ipsa loquitur Creusa? Omnia quae callida usa cau-
 tione pudoreque commota de amica quadam narrat, quae Apollinis σύλ-
 λεκτρος fuerit, nescire eam ubi esset puer quem clam patre peperisset
 feris dilacerandum, postea liberis auctam non esse, non solum
 quadrant in Creusam ipsam, sed iisdem paene verbis aliis locis de
 se ipsa praedicat. Porro non est cur verba faciat Ioni. Quapropter
 equidem testimonium quod versu 344 suppeditatur, minime abicien-
 dum esse censeo. Neque minus cum Mercuri verbis consentiunt versus
 501 sqq. Quamquam enim strictim haec verba percurrenti vox τεκοῦσα
 cum ἵνα coniungenda videtur, ita ut in Panis antris virginem quan-
 dam peperisse dicat chorus, tamen verba τις παρθένος aperte pro-
 dunt chorum repetere tantum quae modo Creusam Ioni in vss. 338 sqq.
 narrantem audiverat. Neque vero discrepare debet chorus cum
 verbis Creusae; ergo ἵνα ad ἔξώρισε solum pertinet. In neutram
 partem facere videntur vss. 897 sqq. Sed cum Creusa non peperisse
 se dicat in sede ubi cum deo esset versata, sed puerum editum ibi
 exposuisse φρίκᾳ ματρός, planum est eam ut matrem lateret, domo
 tulisse puerum in antrum. Ex vss. 1459 et 1494 sqq. certius quid
 erui nequit. In utramque partem interpretari licet etiam versum
 1596:

ἄνοσον λοχεύει σ', ώστε μὴ γνῶναι φίλους

certe nihil obstat quominus hoc ita explicemus, ut Minerva innuat
 Apollinem puerperii dolores arcuisse a Creusa, ut inscientibus fa-
 miliaribus domi parere posset.

Itaque ut paucis comprehendamus quae ex Euripidis fabula cognovimus, Apollo Creusae adcubuisse dicitur in Panis antro profundo, adiacente septemtrionalibus arcis

Iam unus restat locus quo plane diversum edocemur. Sunt versus 948 sq.:

Παὶ. ποῦ; τίς λοχεύει σ'; ἢ μόνη μοχθεῖς τάδε;

Κρ. μόνη κατ' ἄντρον οὐπέρ εἰεύχθην τάμοις.

Verine simile est Euripidem oblitum esse quod in praecedente fabulae parte totiens monuit? Facere igitur non possum quin discedam a Schoemanno qui l. i. p. 51 hanc discrepantiam ipsi poetae imputandam putat. Goettlingius huic loco fidem habendam esse censem; dicit l. i.: „Wie gefährlich wäre es gewesen für Kreusa, im Hause zu gebären, während es ganz natürlich erscheint und von Apollon selbst begünstigt sein wird, dass sie in der Angst der Mutterwehen ihre Last in die Grotte trägt, dort ihres Knaben geneset und ihn sogleich auch aussetzt.“ Sed sicut monitum iam est, nonnihil momenti dandum versus 344 cum versu 16 consensui. Adcedunt vss. 897 sqq. nec refragatur vs. 1596. Tum quod tandem periculum imminuisse putemus Creusae domi parienti quam ἀνοσον λοχεύει Apollo, ὥστε μὴ τνῶν φίλους?

Necesse non est novis argumentis commendari sententiam Wiskemannii qui in libello cui inscriptum est: „de nonnullis locis Ionis fabulae Euripideae“ Marburgi Chattorum 1872 p. 33 vss. 948 et 949 obelo adfecit. Fortasse quaesiverit quispiam unde paedagogus cognoverit in antro expositum esse Ionom quod 958 commemorat, cum tamen Creusa coram paedagogo versu 949 expuncto antri nullam fecerit mentionem. Satis est monere paedagogum adfuisse confessioni quam Creusa 859—922 de se ipsa facit, id quod monstrant verba eius 931 sqq.:

τί φής; τίνα λόγτον Λοξίου κατηγορεῖς;

ποῖον τεκεῖν φής παῖδα; ποῦ θεῖναι πόλεως

Θηρσὸν φίλον τύμβευμ';

Utramque famam argumenti auctor exhibit hisce verbis: ἢ δὲ *(sc. Κρέουσα)* τὸ γεννηθὲν ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν ἐξέθηκε, τὸν αὐτὸν τόπον καὶ τοῦ ἀδικήματος καὶ τῆς λοχείας μάρτυρα λαβοῦσα. Prius enuntiati membrum *(ἢ δὲ — ἐξέθηκε)* cum prologo congruit, posterius ab alio, ut videtur, adiunctum cum versibus a Wiskemanno deletis.

saxis cui antro quae impendet rupes <ἀηδόνιος πέτρα> loco edito choreis Aglauri filiarum celebrato finitima esse perhibetur. Cum hac summa cognitionis ex Euripide perceptae male coire videtur id quod Pausanias I 28,4 tradit his verbis: Καταβάσι δέ, οὐκ ἔς τὴν κάτω πόλιν ἀλλ' ὅσον ὑπὸ τὰ προπύλαια, πηγή τε ὕδατός ἔστι καὶ πλησίον Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἐν σπηλαίῳ. Κρεούσῃ δὲ θυγατρὶ Ἐρεχθέως Ἀπόλλωνα ἐνταῦθα συγγενέσθαι νομίζουσι. Hie libri manuscripti parvam exhibent lacunam quam sequitur Philippidae historiola cursoris Atheniensis qui postquam Datis et Artaphernes Marathona naves adpulerunt, nuntius Lacedaemonia missus Lacedaemonios renuntiasset distulisse profectionem lege vetitos prius ad bellum exire quam luna esset plena, Panem autem sibi circa Parthenium montem obcurrisse, qui et propitiam erga Athenienses voluntatem professus et Marathona auxilio se venturum pollicitus esset. Quo cognito, pergit Pausanias, huius dei veneratio cultusque institutus est¹⁾.

Pausanias igitur ex arce cum descendit non ad urbem inferiorem, sed sub Propylaea, primum conspicit fontem quandam, tum mentionem facit sacelli Apollinis in antro ubi deus cum Creusa concubuisse ferebatur. Et de fonte quidem constat, cum unus tantum sicut hodieque fons arcis fuerit. Est Clepsydra quam Panis sacello adiacuisse ait Schol. Aristoph. Lysistr. 911²⁾. Neque dubitari potest quin sacellum sub arce Apollo habuerit: quattuor enim titulis testibus uti licet quorum tres adfert A. Michaelis <O. Iahn: Paus. deser. arcis Athen. edit II. p. 36>. Cognomen quo in primo Apollo adpellatur, ὑποακραῖος a quo nomen δ ὑπ'

1) cf. VIII 54, 6; idem referunt Herodotus VI 105; Lucianus bis accus. 9; deor. dialog. 22, 3.

2) πλησίον δὲ τοῦ Πανείου ἡ Κλεψύδρα ἦν κρήνη.

ἄκραις quod ei et in altero atque tertio et in quarto quem Boetticherus prope Erechtheum repperit¹⁾, hoc:

ἱερατ]εύσασ-

θαι Ἀπ]όλλωνι

τῷ] ὑπ' ἄκραις

inditum est, forma tantum differt, solummodo a loco ubi colebatur, Apollini imponi potuit.

Sed quaeritur quomodo lacuna qua contextus Pausaniae hiat, explenda sit. Atque eos quidem qui ex Euripide conligere sibi videbantur Panis antrum a thalamo Apollinis diversum fuisse, consentaneum erat arbitrari sententiam suam hoc Pausaniae loco egregie muniri. Goettlingius l. i. p. 5 sq. primus verbis καὶ Πανός quae in antiquioribus editionibus post ἐν σπηλαίῳ legebantur, hodie vero additamentum esse Musuri constat, electis post vocem νομίζουσι inserendum esse censuit: ἐγγὺς δὲ τὸ τοῦ Πανὸς ἀντρον. Quam sententiam non refutatam illam quidem a Pervanoglu l. i. cuius postremi Wachsmuthius et Curtius extiterunt vindices, amplexi plerique Apollini et Pani diversa duo antra, suum utrique, adsignarunt quae alias alibi conlocavit.

Attamen cum omnibus qui in censem veniunt, locis excussis intellexerimus nusquam in Euripidis fabula Apollinis ullum antrum commemorari, sed in spelunca Panis a deo violari Creusam, Pausanias vero in Apollinis sacello id factum esse tradat, haec discrepantia nullo modo tolletur, nisi statuemus unum idemque antrum et Apollinis et Panis sacra continuisse²⁾.

1) cf. Philolog. XXII p. 85 eundemque Philol. XXI p. 46 cui paginæ quæ adiuncta est tabula, adcuratam tituli descriptionem continet.

2) Quam opinionem qui iam antea professi sunt Stuartius, Leakius, Beuleus ad quos postremus Bursianus adcessit (*Geogr. von Griech.* I p. 294), in solis verbis καὶ Πανός quae Musurus in contextum Pausaniae intulit, nitebantur.

Quae coniectura nostra confirmatur comprobaturque ipsa natura antri quod inde a Stuartii aetate Panis nomine designatur¹⁾, considerata. Situm est sub extrema parte lateris occidentalis borealium arcis rupium extra propugnaculum quo Odysseus, Graecorum dux, anno 1822 cum a Turcis obsideretur, Clepsydram et antrum quod Apollinis Goettlingio audit, una cum rupe superimpendente circumdedit. Omnes antri parietes usque ad altam cameram aediculis foraminibusque in quae qui convenient, complures reperti sunt clavi, ad tabulas votivas recipiendas, dona conlocanda et suspendenda repletae sunt. Iam non solum Leakius²⁾ loquitur de „two excavated ledges for the altars and statues of the two deities“, sed etiam Goettlingius l. i. p. 5 commemorat „die Ueberbleibseln zweier altarförmigen Erhöhungen, die an beiden Seiten aus dem Felsen gehauen sind“. Atqui cum in unius dei sacello, praesertim tam exiguo, duas sive statuas sive aras conlocatas fuisse parum verisimile sit, concludendum est alteram Panis, Apollinis alteram fuisse. Lacuna igitur quae in contextu Pausaniae I 28,4 post vocem νομίζουσι exstat, ita fere supplenda erit: κατὰ δὲ ταύτὸν ἄντρον καὶ Πανὸς Ἰδρυται βωμὸς διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν λέγουσι γὰρ ὡς κτλ. Nunc id quoque adparet ἄκρας quarum in titulis mentio fit, intellegendas esse rupes Panis antro imminentes quas conspicies in nummis atticis delineatis apud Leakium in tabula libro praefixa, A. Michaelis

1) Solus Curtius in tabulis a se et Kaupertio editis Panis antrum Apollini tribuit Panisque sacellum in antrum finitimum transluit; videlicet quia Pausanias postquam Clepsydrae mentionem iniecit, prius Apollinis antrum nominat, tum demum de Pane loquitur. Quem ordinem cur Paus. observaverit, apertum est; nam sero Pan Apollini adiunctus est. Michaelis uter specus Pani dicatus fuerit, dubitat.

2) *The topography of Athens*, Londinii 1831 p. 62.

⟨O. Iahn: Paus. deser. arcis Athen. ed. II p. 1 nr. 1,2; p. 69 extr.⟩ Agraulium vero cum per medias rupes ad arcis aream pertineret, vides Euripidem adecuratissime loci naturae rationem habuisse, cum ἐν μυχώδεσιν ἄκραις id situm esse diceret.

Neque demirabuntur hanc Apollinis Panisque consecrationem qui ex Arcadia recordantur Panis cultum inventum esse Athenas, ubi multis locis horum deorum sacra communia fuisse testificatur Pausanias. Megalopoli, Arcadiae capite, ante templum Panis Οἰνόεντος statua erat Apollinis ahenea quam Pausanias visu dignam fuisse dicit VIII 30,3; prope lucum Δεσποίνης qui haud procul aberat a Megalopoli urbe, in Panis ἱερῷ xoanum Apollinis positum erat VIII 37, 12; in mensa conlocata in templo Cereris et Proserpinae quod in foro Megalopolitano situm erat, conspicuae erant Horae, Pan fistulas tenens, Apollo cum cithara VIII 31,3. Eadem ratione apud poetas quoque Pan et Apollo plurifariam componuntur: videas e. gr. Soph. Aiac. 694 sqq.; Euripid. Iph. Taur. 1125 sqq.; Aristoph. Ran. 229 sqq. Tribus his locis Pan prior nominatur, sicut et in Arcadia cultu prae Apolline florebat et Athenis paulatim dei cuius sedis particeps factus erat, gloriae tenebras obduxit. Atque ante quidem aetatem Pisistratem Apollo ὑπακραῖος eximia necesse est fructus sit veneratione, dum antrum sub arce situm ei soli sacrum erat. Neque postea quidem eum prorsus coli desiisse quos supra commemoravimus, tituli docent. Necessario vero veneratio Apollinis ὑπακραῖου comminuta esse debet, ex quo Pisistratus in urbe Pythium aedificavit¹⁾ et Pan in societatem eius vocatus est cuius cultus quantopere etiam postrema antiquitate floreruit, Lucianus indicat qui deor. dialog. 22,3 Panem haec

1) cf. Hesych. s. v. ἐν Πυθίῳ χ.; Suid. s. v. Πύθιον.

dicentem facit: πρώην δὲ καὶ Ἀθηναίοις συμμαχήσας οὕτως
ἡρίστευσα Μαραθῶνι ὥστε καὶ ἀριστεῖον ἡρέθη μοι τὸ ὑπὸ¹⁾
τῇ ἀκροπόλει σπήλαιον: ἦν γοῦν ἐς Ἀθήνας ἔλθης, εἴση
ὅσον ἔκει τοῦ Πανὸς ὄνομα.

III.

1.

Γύαλα.

Lauretum Apollini Delphico sacrum quod ad designandum
alii poetae graeci utuntur vocabulis ἄλσος, δάφνη,
Πυθική δάφνη, δάφνινος ὅρπη²⁾, Euripides in Ione quater
appellat γύαλα:

76. ἄλλ' εἰς δαφνώδη γύαλα βήσομαι τάδε.²⁾

219 sqq. ΧΟ. σέ τοι τὸν παρὰ ναὸν αὐ-
δῶ· θέμις γυάλων ὑπερ-
βῆναι λευκῷ ποδὶ γ . . . ;³⁾

I. οὐ θέμις, ὥς ζέναι.

232 sqq. ΧΟ. ἂ δ' ἐκτός, ὅμμα τέρψει.

I. πάντα θεᾶσθ', ὅτι καὶ θέμις, ὅμμασι.

ΧΟ. μεθεῖσαν δεσπόται

με θεοῦ γύαλα τάδ' εἰσιδεῖν.

1) cf. Ulrichs. l. i. I p. 106, 113 adn. 13.

2) cf. Hymn. Hom. in Apoll. Pyth. vs. 215 :

χρείων ἐκ δάφνης γυάλων ὑπὸ Παρνησοῖο.

3) Lacunam replendam esse censuerunt Hermannus voce βηλόν,
βαλόν Dindorfius, μ' οὐδόν Schoemannus p. 95 qui conferre iussit
Odyss. θ 80, idem de μ' ἔρκος cogitavit cf. Soph. Trach. 607. γ' οὐ-
δόν ci. Weckleinius et L. Weniger, Quaest. delphic. specim. diss.
Sent. Controv. I.

245 sq. οὐ πάντες ἄλλοι γύαλα λεύσσοντες θεοῦ
χαίρουσιν, ἐνταῦθ' ὅμμα σὸν δακρυόρροεν.

Quae vox a multis prave intellecta est. Schoemannus l. i. p. 60, 94, 101 templi ipsius significationem esse ratus est, penetralium templi Herwerdenus ad Ion. vss. 76, 220 praeeunte Fritzschio ad Aristoph. Thesmoph. 110; quin Fuetterer us p. 3 argumentum tragoediae enarrans ad vs. 76 adnotat: „Mercurius abit in antrum *(sic!)* neque iterum appetet“; cum tamen ex hoc ipso versu manifestum sit vocem γύαλα ad lucum quo templum opacatum erat, pertinere. Neque enim Mercurius abit in templum Apollinis vel in penetralia templi, sed Ioni e fano prodeunti decedit neque omnino video quomodo templum dici potuerit δαφνώδη γύαλα. Illa quam nos significationem statuimus, optime cum vi primaria huius vocis congruit: cum enim ad omnia pertineat quaecumque sunt cava, manum¹⁾, convexam thoracis partem²⁾, calicem³⁾, aedificia con fornicate⁴⁾, rupium cavernas⁵⁾, convallēm⁶⁾, apte adhibetur etiam luco arborum capitibus in camerae formam superne clauso. Non obstrepunt versus 220 sq. quos sive voce βαλόν sive μ' οὐδόν exples, limina templi quibus terminabatur lucus et unde aditus patebat ad γύαλα, rectissime γυάλων βαλός s. οὐδός adpellantur. Templum ipsum intrare mulieres ab Ione ve-

1) cf. Etym. M. s. v. γύαλον: κυρίως δὲ τὸ κοῖλον τῆς χειρὸς λέγεται γύαλον. Huius significationis in literis nullum exstat vestigium.

2) Quam vim γύαλα semper habet in Homeri carminibus.

3) cf. Eur. Iph. Aul. 1051 sq.: χρυσέοισιν — ἐν κρατήρων γύαλοις. Hesych. et Etym. M. γύαλα: ποτήρια.

4) De thesauris delphicis adhibetur Eur. Androm. vss. 1092 sq. Hesych. γύαλα: θησαυροί, ταμεῖα.

5) cf. Soph. Philoct. 1081; Euripid. Hel. 189 sq.

6) cf. Eur. Iph. Taur. 1235 sq.; Phoen. 237 sq.; ibid. schol.: γύαλα δὲ κυρίως αἱ τῶν ὀρῶν κοιλότητες.

tantur, γύαλα ubi rem agi arbitror, quod docent vss. 233 sq., si quidem chorus pronomine τάδ' eum, ubi tunc ipsum versatur, locum indicat, peragrare et hinc templum contemplari licuit.

Situm huius luci adcurate demonstrare possumus ex vss. 112 sqq., ubi qui nominantur κήποι ἀθάνατοι 116, adparet a γυάλοις diversos non esse. Etenim ἀέναος illa παγά 118 quae ex κήποις ἀθανάτοις profluere dicitur quamque manifesto distinxit poeta a Castaliae δίναις unde Ion vasa aurea ad adspergendum templum replet 146 sqq., dubium non est quin de Cassotide solum intellegi possit qui fons prope Herophilae rupem supra templum nascitur et ex puteo S. Nicolai <βρύσις ἄτιου Νικολάου> meridiem versus via directa procurrens, deinde terra haustus sub meridionali demum periboli muro qui hodie τὸ Ἐλληνικό audit, ad lucem emergit. Olim per ipsum adytum templi cum ductus esset¹⁾, e muro polygonio qui vocatur, titulorum feracissimo, quo templi area meridiem versus sustinetur, exibat²⁾; hodie fons templi oppressus strage exitum paulo inferiorem nactus est.

Sacrum igitur nemus, si verum est Cassotidem ex eo emanasse, hand procul ab ipsa fontis origine septentrionali templi lateri adiacuisse patet. Porro cum in sacro nemore agi rem viderimus, septentrionale templi latus in scaena repraesentatum fuisse necesse est ne-

1) cf. Paus. X 24, 7: ταύτης τῆς Κασσοτίδος δύεσθαι τε κατὰ τῆς γῆς λέγουσι τὸ ὕδωρ καὶ ἐν τῷ ἀδύτῳ τοῦ θεοῦ τὰς γυναικας μαντικάς ποιεῖν.

2) Cernitur etiamnunc in muro pelasgico foramen, unde profluebat aqua, quod Foucartius l. i. p. 79 in forma areae templi litera O signavit.

Ceterum de Cassotide cf. eundem p. 101 sq.; Dodwell.: „Tour through Greece during the years 1801, 1805, 1806“ I p. 174; Vischer. l. i. p. 609 sq.; Ulrichs. p. 38 sq., 105 sqq.; E. Curtius, Anecdota Delphica p. 3.

que vero hoc solum. Nam quinque metoparum imagines in versibus 190—218 descriptae unum idemque sacrae aedis parietem obtinere non potuerunt, sed in duos potius ita distribuendae sunt, ut Herculis et Iolai cum Hydra pugna et Bellerophon Pegaso insidens Chimaeramque interficiens in uno latere locum haberent, in latere attiguo Deorum et Gigantum imagines¹⁾: in septemtrionali hae, duae illae in orientali quod cur parti occidentali praferendum ducamus, explicatione vix indiget. Herculem in parte antica conlocamus et quia insignissimus ei debetur locus qui artissima cum Apolline ipso societate sit coniunctus²⁾ et exemplo aedis Theseo Athenis consecratae commoti quae decem metopas frontis orientalis huius herois ornatas exhibet certaminibus³⁾. Is igitur templi angulus qui inter septemtriones et ortum solis vergit, spectantium oculis subiectus erat: de qua re omnis mihi dubitatio exempta est, postquam vidi Schoenbornium diversa quidem via ad idem prorsus iudicium devenisse⁴⁾.

Perspicuum iam id quoque est cur metoparum ima-

1) A Welckero qui l. i. p. 24 ait: „den Bellerophon denkt man sich übrigens auf der einen, die Giganten auf der andern Längenseite zunächst anstossend an die Vorderseite“ dissentio: tria enim templi latera conspicua esse non potuere.

2) cf. eundem ibid. p. 23.

3) cf. Stuart.: „the antiquities of Athens“ vol. III c. 1, tab. XI 1—6; XIV 15—18.

Edward. Hawkins: „Description of the collection of ancient marbles in the Brit. Mus.“ vol. IX p. 101 tab. XX, XXI.

4) Die Skene der Hellenen p. 177 sq.: „Der Tempel scheint übrigens hier nicht minder, wie der in der Taurischen Iphigeneia erforderliche, schräg vor den Zuschauern gestanden, also halb von der Seite gesehen worden zu sein. Nur bei solcher Stellung konnte eine lange Reihe Friesbilder dem Chor und den Zuschauern sichtbar werden; nur dann liess sich der Aufgang zum Tempel auf Stufen (743) (melius vs. 510 adferetur) ohne grosse Schwierigkeit dicht an den Coulissen herstellen.“

gines elegerit poeta quae a choro celebrarentur nec tympani figuras grandiores gravioresque. Certe ne id quidem neglegendum quod metoparum simulacra multiplici argumenti varietate inlustria ad spectatorum animos delectandos erant aptiora; imprimis vero in causa fuisse videtur quod tympani cum extremae tantum figurae conspicuae essent, media atque gravissima pars lateret, argumentum totius compositionis cognosci perspicue non poterat.

2.

Θυμέλαι, Θριτκός.

Versus 226—229:

ΙΩΝ. εἰ μὲν ἐθύσατε πέλανον πρὸ δόμων
καί τι πυθέσθαι χρήζετε Φοίβου,
πάριτ’ εἰς θυμέλας, ἐπὶ δ’ ἀσφάκτοις
μῆλοισι δόμων μὴ πάριτ’ εἰς μυχόν.

Quod Musgravius πέλανον de victimae sanguine adcipiendum esse arbitratus est et θυμέλας idem plane valere ac δόμων μυχόν, scilicet quicquid intra πρόπυλον sive πρόδομον esset, Badhamus vero ad penetralia templi utramque vocem rettulit, somnians uterque, non euro. Cum Schoemann solo mihi res est qui p. 97 sq. θυμέλας aram in area templi positam significare ratus intellexit non iuberi posse mulieres adcedere ad „thymelas sive intrare saeptum, in quo arae sunt“ ea condicione, si iam liba sacrificassent; cum liba in ipsis illis aris obferenda fuissent, ad quas mulieres nondum adcessisse apertum esset. Statuere vero alias quasdam extra saeptum aras fuisse, in quibus liba obfferrentur, thymelas autem hostiis tantum fuisse destinatas non licere propter additum illud πρὸ δόμων quod cum vix aliter quam

de loco templi foribus subiecto adcipi posset quo loco etiam thymelas fuisse constaret, mirandum esse iam tamen diversum a thymelis locum isto modo designatum. Manifestum igitur esse Ionem dicere non potuisse quod librarii eum dicentem fecissent; quid si non debuisset, at potuisset saltem dicere, satis apertum, nempe hoc: „sacrificandi libi causa, si consulturae deum essent, licere mulieribus intra thymelas ingredi: templum ipsum intrari non posse, nisi hostiis ante mactatis“. Unde adparere pro ἐθύσατε aut θυσέτε aut fortasse θῦσαι scribendum esse. Hactenus Schoemannus.

Dubium non est quin si vera de vi vocis θυμέλα statuit, emendatio ab eo proposita adsciscenda sit. Sed propter eam potissimum causam in explicatione ab eo suppeditata obfendo, quia, δόμων μυχός cum non templum universum, sed adytum tantum designet, miro quodam modo templi penetralia opponuntur arae foris positae. Patet autem tum demum de hoc loco iudicium fieri posse, si de vocis θυμέλας significatione constat, qua non ut Schoemannus voluit, indicari aram ante templum positam ex aliorum locorum quibus huius vocis fit mentio, contentione apertum est. Quos ut deinceps pertractemus, primum dicendum de versu 46: ὑπὲρ δὲ θυμέλας διορίσαι πρόθυμος ἦν. Apollo Mercurium fratrem iussit Ionem modo natum ad aditum templi delphici ferre 33 sq.:

Ἐνεγκε Δελφῶν τάμα πρὸς χρηστήρια
καὶ θές πρὸς αὐταῖς εἰσόδοις δόμων ἐμῶν.

Ibi postquam eum invenit Pythia mane sacrum tripodem adscensura, mirata num qua Delphica virgo ausa sit partum in sacra dei domo exponere, iam parata est puerum ὑπὲρ θυμέλας διορίσαι, cum deus misericordia eam imbuit. Videsne versibus 46 et 34 inter se comparatis θυμέλας idem esse debere atque εἰσόδους; neque igitur „aram“ significare potest, ad quam vox διορίσαι male qua-

drat, sed limen tantum, gradus quibus nititur templum¹⁾.

Versus 114 sq.: ἀ τὰν Φοίβου θυμέλαν
σαιρεῖς ὑπὸ ναοῖς

explicantur versibus 103 sqq.: πτόρθοισι δάφνης
στέφεσίν θ' Ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου
καθαρὰς θήσομεν ὑγραῖς τε πέδον
ρωνίσιν νοτερόν

et versibus 78 sqq.: ὅρῳ γὰρ ἐκβαίνοντα Λοξίου τόνον
τόνδ' ὡς προνάου²⁾ λαμπρὰ θῆ πυλώματα
δάφνης κλάδοισιν.

Ad pronaum igitur necesse est etiam vox θυμέλαι spectet. Eandem significationem admittunt versus 161 sq.:

ὅδε πρὸς θυμέλας ἄλλος ἐρέσσει
κύκνος cf. 156 sq.; 172 sqq.

Non levis praeterea momenti est quod haec nostra interpretatio proxime adcedit ad vulgarem quam Wieselerus primus ostendit³⁾), significationem qua florentibus rebus graecis vocabulum θυμέλη pulpito illi adhibebatur in orchestra theatri posito scalisque cum ea iuncto quo choreutae et musici varii generis prodire solebant. (Pollux 4, 123 θυμέλη εἴτε βῆμά τι οὐσα εἴτε βωμός.)

Iam ut hanc vocis vim ad nostrum locum adhibemus, Ion aptissime dicit haec: „Si deum consulturae liba in ara ante templum posita sacrificastis, limen templi adite, adytum vero nisi mactata pene eude intrare non licet“. Quae cum ita sint, nihil mutetur opus est.

1) Sacram quae ante templum patebat, aream intellegit Wieselerus: „Ueber die Thymele des griech. Theat.“ p. 21, adn. 59).

2) Ita pro πρὸς ναοῦ legendum esse perspexere Wakefieldius et Huelsemannus.

3) I. i. cf. etiam Usenerum: „Ein Epigramm von Knidos“, Mus. Rhen. N. S. XXIX (1874) p. 31 sqq.

Eadem prorsus ratione interpretanda est vox θριγκός quae legitur in vss. 1320 sq.:

τρίποδα τὰρ χρηστήριον

λιποῦσα θριγκοῦ τοῦδ' ὑπερβάλλω ποδί

ubi Schoemannus quidem p. 95 intellexit saeptum nescio quod proximam templi aream cingens; nobis et ipsa de lamine tantum templi adeipi posse videtur, ita ut idem significet quod γυάλων οὐδός s. βαλός 220 sq. i. e. limen quod aditum praebet ad γύαλα gradibus templi terminata.

cf. Badham. ad vs. 1321.

ΙΩΝ.

Ionis nomen in tragœdia inde repetitur quod Xutho ex Apollinis templo ἔξιόντι primus ille obcurserit cuius frigidissimæ etymologiae¹⁾ ter fit in fabula mentio 661 sqq., 800 sqq., 830 sq. Quorum locorum ultimum Dindorfius ut spuriū notavit: etiam alterum interpolatori deberi equidem ostendam. Locum adponam:

ΠΑΙ. ὄνομα δὲ ποῖον αὐτὸν ὀνομάζει πατήρ;

οἶσθ', ή σιωπῇ τοῦτ' ἀκήρυκτον μένει;

ΧΟ. Ἱων', ἐπείπερ πρῶτος ἥντησεν πατρί.

μητρὸς δ' ὅποιας ἐστίν, οὐκ ἔχω φράσαι.

1) Hanc Ionis nominis explicationem E. Curtius: „die Ionier vor der Ionischen Wanderung“ p. 7 sq. et 47 adn. 12 ita amplectus est, ut etiam ad gentis Ionum adpellationem adhiberet, insigni deceptus errore quem detexit Schoemannus in: Animadvers. de Ionibus, Op. Acad. I p. 165 sq. Vox Ἱωνες, Ἱάονες unde derivatum nomen, barbaræ videtur esse originis.

cf. Vaniček.: „Fremdwörter im Griech. u. Lat.“ p. 18 sq.

Mira hic invenitur Ionis nominis interpretatio quod ex versibus 661 sqq.:

Ἴωνα δ' ὄνομάζω σε τῇ τύχῃ πρέπον,
δόθουνεκ' ἀδύτων ἐξιόντι μοι θεοῦ
ἴχνος συνῆψας πρώτος¹⁾ <ef. etiam 534 sqq. >

docemur ei a Xutho impositum esse quia patri ex sacra aede ἐξιόντι primus obviam venit. Quod gravissimum est, illud ἐξιόντι hic desideratur. Inde si nomen adcepisset ἐπείπερ πρώτος ἥντησεν πατρί, rectius me iudice ΑΝΤΑΙΟC appellaretur quam ΙΩΝ.

Eidem vero qui hunc versum parum circumspecte panxit, duos etiam praecedentes tribuerim quorum alterius clausulam, si quidem Nauckius recte emendavit, ex Soph. Trach. vs. 45:

μῆνας πρὸς ἄλλοις πέντε ἀκήρυκτος μένει
mutuatus est. Versibus 800—802 deletis verba μητρὸς δ'
ὅποιας ἔστιν pro quibus cum altero apographo Parisino
scriendum erit μητρὸς δὲ ποίας, codicum auctoritatem se-
cuti paedagogo restituemus, ita ut in hunc modum sermo
procurrat :

ΠΑΙ. μητρὸς δὲ ποίας ἔστιν; ΧΟ. οὐκ ἔχω φράσαι²⁾
et nihil dicat chorus nisi interrogatus a paedagogo.

1) Hic quoque locus qui a versu 661—665 pertinet, gravissimam mihi movet suspicionem. Nam quid sibi volt illud πρόσειπε ubi convivii concelebratio commemoranda erat? Porro quid sit σὺν ἡδονῇ πρόσειπε intellegere me puto, βουθύτω σὺν ἡδονῇ πρ. obscurum et ineptissimum. Quamquam vero necessarii hi versus esse videntur propter verba στείχοιμ³⁾ ἀν sequentia 668 quae deletis illis quo referantur, non habeant, dubito tamen, num etymologia ex eo quod alteri cuidam evenit, hausta omnino Euripidi imputari possit. cf. Elmsleyum ad Euripid. Bacch. v. 508.

2) Sic versum iam Hermannus et Badhamus descriptum ediderunt. cf. 540:

ΙΩΝ. ἐκ τίνος δέ σοι πέφυκα μητρός; ΞΟΥ. οὐκ ἔχω φράσαι.

4.

IONIS SACRA NATALICIA.

Vss. 804—807:

φροῦδος δ', ἵν' εἰδῆς πάντα τὰπ' ἔμοῦ, τέρον,
παιδὸς προθύσων ζένια καὶ τενέθλια,
σκηνᾶς ἐς Ἱεράς τῆσδε λαθραίως πόσις
κοινῆς ξυνάψων δαῖτα παιδὶ τῷ νεῷ.

Hisce verbis cum ita tantum construi possint, ut coniungamus φροῦδος cum σκηνᾶς ἐς Ἱεράς, indicatur Xuthum ad tabernacula esse profectum, ut sacris nataliciis perpetratis puerum modo repertum sollempni adhiberet cenae. Participia enim προθύσων et ξυνάψων licet nullo vinculo intercedente iuxta posita sint, tamen sic neque inverso ordine pro temporum ratione conlocata esse ut ponamus, natura fert. Iam duae potissimum huic loco insunt res quae obfendant: atque primum quidem iure miratus sit quispiam, unde vel chorus vel paedagogus 982 compertum habeant de Ἱεραῖς σκηναῖς quarum nulla fit mentio in Xuthi ad quae respicet chorus verbis quae 650 sqq. ita leguntur:

παῦσαι λόγων τῶνδ', εύτυχεῖν δ' ἐπίστασο·
Θέλω τὰρ οὖπέρ σ' εὑρον ἄρξασθαι, τέκνον,
κοινῆς τραπέζης δαῖτα πρὸς κοινὴν πεσών,
θῦσαί θ' ἀ σου πρὶν τενέθλι' οὐκ ἐθύσαμεν.

Atque in his quoque non unam propter causam haeserunt viri docti. In versu 651 pro θέλω quod in codice Laurentiano exstat, liber Palatinus exhibet ἐλθών quae lectionis discepantia non talis est, ut librarium codicis Pal. errasse verisimile sit. Pro ἄρξασθαι quoniam nullo modo, ut voluerunt quidam, interpretari licet per „sacrificare, sacra auspicari, auspiciū facere“, neque vero cum κοινῆς τραπέζης coniungi potest, optime Hermannus reposuit

εὔξασθαι. Hunc versum, quam rem Bakhuizenius admonuit Herwerdenum, continuo sequi debet vs. 653. Inter versus 653 et 652 versus unus lacuna haustus est, in cuius initio θέλω illud codicis Laurentiani positum erat; in hoc commemoratae erant etiam σκηναὶ Ἱεροί quibus locus δαπτὸς κοινῆς indicaretur. Totum igitur locum ita fere restitui velim:

Ἐλθὼν τὰρ οὐπέρ σ' εὑρον εὔξασθαι, τέκνον,

θῦσαί θ' ἄ σου πρὶν τενέθλιον οὐκ ἐθύσαμεν,

θέλω, — σκηναῖς ἐν Ἱεραῖσιν —

κοινῆς τραπέζης δαῖτα πρὸς κοινὴν πεσών.

Sed ut ad illum unde egressi sumus, locum gradus referamus, vidimus iam ita tantum intellegi posse quae chorus dicit, ut putemus Xuthum iisse ad Ἱερὰς σκηνάς i. e. tabernacula quae ponere iussit filium — quod patris praeceptum quomodo Ion effecerit, docemur nuntii narratione cf. 1132—1166 — ubi ad memoriam diei natalis pueri recolegendam sacrificatus festis laetum eventum celebraret epulis. Etiam vss. 1031 sqq. quibus Creusa paedagogum ἵνα βουθυτεῖ λάθρᾳ πόσις se conferre et venenum immiscere Ionis poculo iubet, eodem loco demonstrant Xuthum sacra facere quo Ion θοινῷ φίλους.

Cum hisce vero locis difficulter conciliari videtur Herwerdeno nuntii narratio 1125 sqq.: „unde apparere Xuthum non immolandi causa abiisse ad tabernaculum, sed solum conscendisse cacumen Baccho sacrum, manente filio, quem tabernaculum ponere iubeat, et, si ipse diutius fuerit moratus, convivio excipere amicos; nec re vera, vetante fabulae oeconomia, epulis patrem interfuisse.“

Non potest negari poetam secum ipsum certare; cum enim ex vss. 651 sqq., 804 sqq. nemo non efficiat Xuthum una cum filio convivium celebraturum esse, nuntium si audimus, Xuthus solus Parnassum conscendit sacra facturus neque interest cenae ab Ione institutae. Sed imminuitur relevaturque haec discrepantia, si statuimus locum quo

Xuthus sacrificatum proficiscitur, finitimum fuisse ei ubi tentoria ponit Ion, id quod poeta ipse 712 sqq. satis aperte prodit. Nolo enim facere cum Badhamio qui ἵνα illud quod in versu 714 legitur, censem abiciendum esse repnendumque ἵνα: quam sententiam hoc primo defendit argu-
mento, quod non in Parnassi apieibus convivium adparatum sit. Id facile concedo, attamen prope Parnassum, sub ipso monte fieri potuit neque plus voce ἵνα exprimitur. Quod addit epodum a nova oratione ordiri decere, conferatur velim Hecub. vs. 943 ubi et sententia et constructio gram-
matica antistrophei continuantur epodo. Ἱνα igitur mor-
dicus tenendum esse duco. Neque aliud continet vs. 651:
etsi enim verba οὐπέρ σ' εὗρον primo sane obtutu spectare videntur ad portas templi unde egrediens Xuthus filium suum invenerat, eur tamen dicamus Ionem decedere de scaena tabernaculum positurum eo loco, ubi tunc ipsum versatur et res agitur? Voce εὗρον relegamur potius ad verba δι πότμος σ' ἐξεύρεν, τέκνον 554 quae cum pertine-
ant ad Πυθίαν πέτραν ubi Xuthus, sicuti ipse quidem arbitratur, bacchico furore ablatus Ionem generat, ad eundem locum etiam illud οὐπέρ σ' εὗρον revocabimus, quo loco nullum fuisse aptiorem ubi natalicia agerentur, manifestum est. Iam cum versu 651 optime concinit nuntii narratio 1122 sqq. unde certiores sumus Xuthum iisse ad eum locum ubi Nauplia et Hyampea coëunt¹⁾ Ionemque qui patrem

1) Duo quae memorantur Parnassi culmina 1125 sqq.:

Ξοῦθος μὲν ψχετ' ἔνθα πῦρ πηδᾷ θεοῦ
βακχεῖον, ώς σφαγάσι Διονύσου πέτρας
δεύσειε δισσάς

86 sqq.: Παρνησάδες δ' ἄβατοι κορυφαί
καταλαμπόμεναι τὴν ἡμερίαν
ἀπῆδα βροτοῖσι δέχονται

714 sqq.: ἵνα δειράδες Παρνασσοῦ πέτρας
ἔχουσαι σκόπελον οὐράνιον θ' ἔδραν κτλ.

comitatus erat <έπει θεοῦ μαντείον ψχετ' ἐκλιπὼν πόσις
Κρεούσης, παῖδα τὸν καινὸν λαβών> sub montibus reliquisse
iussum tentoria ponere neque exspectare dum ipse rever-
teretur. Neque igitur oblitus est poeta Xuthum pollicitum
esse sese adfore cenae. Quod tamen solus montium cacu-
mina tentoriis impendentia adscendit Xuthus neque inde ad
epulas quas filius adparat, redit, consulto instituit Euripides,
licet parum verisimiliter.

cf. Hermann. praef. p. XLV et XLIX sq.

5.

DE VERSIBUS 1010—1017.

- ΠΤΑΙ. πῶς οὖν κέκρανται δίπτυχον δῶρον Θεᾶς; 1010
ΚΡ. κοίλης μὲν ὅστις φλεβός ἀπέσταξεν φόνῳ
ΠΤΑΙ. τί τῷδε χρῆσθαι; δύνασιν ἐκφέρει τίνα;
ΚΡ. νόσους ἀπείργει καὶ τροφὰς ἔχει βίου.
ΠΤΑΙ. δὲ δεύτερος δὲ ἀριθμὸν δν λέγεις τί δρᾶ; 1015
ΚΡ. κτείνει, δρακόντων ἴος ὧν τῶν Γοργόνος.
ΠΤΑΙ. εἰς ἐν δὲ κραθέντ' αὐτὸν ἡ χωρὶς φορεῖς;
ΚΡ. χωρίς· κακῷ τὰρ ἐσθλὸν οὐ συμμίγνυται.

non summa Parnassi cacumina intellegere licet: haec enim in parte
orientali montium iugi, ita ut Delphis videri non possint, supra
Tithoream sex numero eriguntur, et unum tantum τὸ Λυκέρι quod
Λυκωρέας oppidi memoriam retinet, praeter cetera prominet. cf. Dod-
well. l. i. p. 171; Clark.: „Travels in various countries of Europe,
Asia and Africa“ Part. II Sect. III p. 181; Thiersch.: „Ueb. d.
Topographie v. Delphi“. Abh. d. philos. philol. Cl. d. kön. Baier.
Acad. d. Wiss. 1840, p. 9 sq.; Ulrichs. l. i. p. 48, 121.
Cogitandum est, si quidem certam sibi loci imaginem poeta
informavit, de Phaedriadibus ad occidentem vergentibus quae tor-

Creusa monita a paedagogo, ut circumspiciat viam ac rationem Ionis e medio tollendi 984, communicat cum eo Erichthonium proavum suum a Minerva adcepisse duas guttas ex Gorgonis in deorum et Gigantum certamine occisae haustas sanguine quae quidnam ad hominis naturam valeant interrogata alteri vim necandi inesse respondet, morbos sanandi alteri 1004 sq.:

ΠΤΑΙ. Ἰσχὺν ἔχοντας τίνα πρὸς ἀνθρώπου φύσιν;

ΚΡ. τὸν μὲν θανάσιμον, τὸν δὲ ἀκεσφόρον νόσων.

Ab Erichthonio cruor postquam hereditate pervenit ad Erechtheum, ab hoc adcepit Creusa filia quae donum deae secum portat abditum in capsula aurea ad manum adligata 1006—1009. Secuntur versus 1010—1017 supra descripti qui non unum tantum spuriae originis prae se ferunt signum. Quod primum et gravissimum est, otiose repetunt sententiam duobus versibus 1004 sq. expressam atque ita quidem ut quod illie paucis verbis, ut convenit in dialogo, dictum est, hic diffuse dilatetur. Antea de duabus simul interrogatur guttis, hic verbose primum uno de duabus versu quaeritur 1010, deinde vero singulis denuo versibus de utraque 1012, 1014; antea duarum gutterum uno versu explicatur virtus, hic separatim de utraque agitur 1013, 1015.

rente qui ex summo monte orsus cum Castaliae rivulo in Plistum flumen decurrit, in duo rupium fastigia inter se opposita diffinduntur: horum orientale cui hodie Φλευπούνκος est nomen, a veteribus appellabatur Υάμπεια, occidentale hodie Ροδινή vocatum Ναυπλίαν illis audisse non inepte conluseris conlatis inter se Diodoro XVI 28 et Plutarcho de sera num. vind. *(edit. Reisk. vol. VIII p. 203 sq.)* cf. etiam Bursian.: „*Geogr. v. Griech.*“ I p. 172, adn. 2. Ab hisce verticibus qui supra Castaliae fontem in 800 pedum altitudinem erecti sunt, cum falso summa Parnassi cacumina esse putarentur, etiam universus Parnassus a Romanorum praecipue poetis biceps nominatus est.

Huius argumenti gravitas cum sola per se sufficiat ad obelum hisce versibus praefigendum, adcedunt etiam dictionis menda haud minus gravia. Atque primus quidem versus recte se habet: verbum κέκρανται quod Hermannus vertit per: „quomodo constitutum est“, Herwerdenus per: „quomodo comparatum est, in quem usum destinatum“, similiter positum est atque in Med. vss. 136 sq.: οὐδὲ συνήδομαι, ὡς τύναι, ἀλτεσι δώματος, ἐπεί μοι φίλον κέκρανται ubi scholiasta adnotat: τὸ οἴκημά, φησι, τετέλεσται ἔμοι φίλον, οἷον ὑπάρχει. Eadem viri docti quod ab hoc vocabulo suspensum esse dicunt infinitivum χρῆσθαι 1012, non consentio. Verbis τί τῷδε χρῆσθαι minime continuatur prior interrogatio suis finibus circumscripta, τῷδε non referendum est ad δῶρον θεᾶς, sed ad ὅστις ἀπέσταξεν. Sed in sequenti versu foedum est vitium: dico ὅστις quod ὁς esse debere optime dum recentiores taceant, observavit Hermannus qui tamen cum neque hoc loco neque ubi adeu-
ratius de ὅστις egit¹⁾, Euripideum plenum huius pronomini usum inlustrarit, neque, quod sciam, post eum quisquam, hoc meum esse ratus de integro quaestionem institui et haec inveni. Ponitur ὅστις pronomen relativum²⁾ apud Euripidem ad designandam et incertam quandam et certam personam, sed illud multo saepius fit quam hoc. Si adhibetur incertae sive personae sive rei, primum idem valet atque: „quicumque, quisquis, aliquis qui“, plerumque in sententiis generalibus, praecedente haud raro nomine plurali vel conlectivo quod artius per ὅστις circumscribitur³⁾.

1) Soph. Oed. Tyr. ed. III praef. p. VII—XV. cf. eundem ad Vigerum ed. III p. 26 sqq., 710, 903 sq., 924; ad Medeam Elmslei v. 775.

2) Usus quo ὅστις in interrogatione indirecta quam dicunt, adhibetur, nihil memoria dignum praebet, nisi quod Hipp. 927 ὅστις et ὁς aequata sunt.

3) Sescentiens. Saepe coniunctum est cum πότε, ἄρα; sequitur indicat., coniunct., ἄν cum coniunct., optat.

Altero loco designat qualitatem = talis qui, rarius simul consequentiam = ὥστε¹⁾). Tertio post negationem ponitur sequente aut indicativo aut optativo modo <optat. cum ἀν>; quarto loco post interrogationem spectans plerumque ad τίς sive τις praecedens sequente aut indicativo aut optativo²⁾, post imperativum³⁾, post enuntiatum condicionale sequente indicativo⁴⁾. Ad certam personam si refertur δοστις, semper significat qualitatem atque causam sequente indicativo = qui quidem, *der ja, der doch*⁵⁾: in simplici enuntiato adfirmativo, ut nostro loco legitur, numquam inventitur⁶⁾.

Praeterea pronomen relativum cum nisi ad σταλαγμούς

1) Veluti Phoen. 594. Haec altera vis non semper a prima discerni potest, saepe idem locus utramque interpretationem admittit.

2) His locis: Andr. 915; Hel. 436, 1039, 1200; Electr. 630; Heracl. 414; Herc. 1107; Hippol. 1165; Iphig. Aul. 1361, 1453; Ion. 624. Praecedit τις in simplici sententia adfirmativa positum uno tantum loco Electr. 102—106 quos versus Usenerus in exercitationibus seminarii nostri damnavit.

3) Iphig. Taur. 1209.

4) Bacch. 1325.

5) Loci sunt hi: Alc. 241, 620, 659; Andr. 8, 326, 399, 592, 602; Bacch. 1305; Hec. 55; Hel. 847, 1625; El. 973, 1069; Herc. 256, 1258; Suppl. 220, 1092; Hipp. 943, 1061, 1068; Iph. Aul. 389, 907; Iph. T. 381; Ion. 813; Cycl. 283, 369; Med. 192, 589, 1130, 1234, 1280, 1325; Or. 286, 438, 494, 573, 1515; Phoen. 273; Rhes. 109, 321, 678; fgm. 125, 2; 532, 2.

6) Iphig. Aul. 1382 vetusta iam manus ἤντιν' fecit ex ἦν versus complendi causa.

Formae huiusc pronominis quae leguntur apud Euripidem, sunt haec: δοστις, ἤτις <ἀτις>, δτι, δτου <gen. masc. et neutr.>, δτω <dat. masc. et neutr.>, δντινα, ἤντινα, δτι, οἵτινες, αἵτινες <fgm. 362, 30>, οὔστινας. αἵτινες non adparet apud Aeschylum et Sophoclem, sed apud illum insuper ἤστινος Ag. 1358; apud hunc ὥτινε Oed. Col. 1673; δτων Oed. Rex 414; δτοισι Antig. 1335.

1003 non habeat quo referatur, indicio est vss. 1010—1017 scriptos esse eo consilio, ut vice vss. 1004 sq. recitarentur. In eodem versu codex Β φόνω praebet, C duplicem habet ^{οὐ} lectionem φόνω. Hoc φόνω qui explicari posse videatur Hermanno, non intellego; φόνου si legimus, apte adferatur Hecub. vs. 240 sq.: ὅμμάτων τ' ἀπὸ φόνου σταλατμοὶ σὴν κατέσταζον τένυν. ἐκφέρει 1012 fortasse defendi possit, quamquam quem Herwerdenus adponit, locus 1352: μητρὸς τάδ' ἡμῖν ἐκφέρεις ζητήματα dissimilis est. Ἀριθμόν vero quod in versu 1014 Nauckius ex coniectura edidit pro ἀριθμός, putidum est atque redundant, cum ὁ δεύτερος plane sufficiat. In eodem versu τί δρᾶ pro: τίνα δύναμιν ἔχει adhibitum frustra alibi apud tragicos poetas quaesiveris: volgare enim est et ex communi petitum sermone qualis est in comoediis cf. Aristoph. Eq. 237: τοutὶ τί δρᾶ τὸ Χαλκιδικὸν ποτήριον; Versus duo extremi mirum in modum languent: satis per se intellegitur duas res quibus contraria inter se et decertans inest vis, non in unum confundi. Vitiose denique αὐτόν 1016 positum est pro αὐτούς.

Abicias igitur has sordes quas auctor quisquis fuit, frustra anatomiae scientia nobis commendatas voluit, et genuinum versuum ordinem hunc in modum mecum restituas:

ΠΤΑΙ. ισχὺν ἔχοντας τίνα πρὸς ἀνθρώπου φύσιν;

ΚΡ. τὸν μὲν θανάσιμον, τὸν δ' ἀκεσφόρον νόσων. 1005

ΠΤΑΙ. ἐν τῷ καθάψασ' ἀμφὶ παιδὶ σώματος;

ΚΡ. χρυσοῖσι δεσμοῖς· δὲ δὲ δίδωσ' ἐμῷ πατρὶ.

ΠΤΑΙ. κείνου δὲ κατθανόντος εἰς σ' ἀφίκετο;

ΚΡ. ναί· κάπτῃ καρπῷ τ' αὐτ' ἐγὼ χειρὸς ¹⁾ φέρω. 1009

ΠΤΑΙ. ὃ φιλτάτη παῖ, πάντ' ἔχεις ὄσων σε δεῖ. 1018

1) Χειρός posui pro χερός quia eas verbi χείρ formas quae vocalem habent pro diphthongo, in paribus tantum senarii pedibus, ubi forma producta uti per metrum non licebat, adhibere solet

DE VERSIBUS 1426—32:

I. ἔστιν τι πρὸς τῷδ', ή μόνον τόδ' ¹⁾ εὐτυχεῖς;

K. δράκοντε μαρμαίροντε παγχρύσω γένυι.

I. δώρημ' Ἀθάνας ή τέκν' ἐντρέφειν λέτει;

K. Ἐριχθονίου γε τοῦ πάλαι μιμήματα.

Euripides. Pauci qui obstant huic regulae loci, mutandi sunt. El. 17 Usenerus χερσίν proposuit pro χερός ὅπ'. Ibidem 788 scribendum est χειρός cf. vs. 998, idem Heracl. 131 quod etiam Elmsleyus mavult et libri Andr. 841 exhibent pro χερός, cum Andr. 1211 et Ion. 1029 χερός habeant pro χειρός. Phoen. 1699 lege χεῖρ' quod „fere ceteri“ codd. praebent, cum unus C habeat χέρ'. *(Idem restituendum Bacch. 1164; ad vs. 1125 qui caesura caret, frustra Elmsleyus attulit Hecub. 1159 qui versus hac re differt ab illo quod post γένοντο et caesura et sententiae finis est, cum illic post λαβοῦσα vox intermitti non possit. Conicio: λαβοῦσα χεῖρα δ' ὠλέναις ἀριστεράν.)* Permutatae sunt in libris formae χεῖρα et χέρα Suppl. 61; Ion. 1455; Med. 864, 1283. χείρας reponendum pro χέρας Heracl. 228 *(cf. Elmsl. ad vs. 131)* et Iphig. Taur. 347. *(cf. El. 826; Suppl. 235; Hipp. 1194; fgm. 299, 2; 843; Soph. El. 1120; Eur. Heracl. 976.)* χείρας falso traditum est in codd. pro χέρας Hel. 634; Or. 1414; Phoen. 596; Rhes. 260; fgm. 220, 3. Pro χεροῖν quae forma legitur etiam in pede primo et quinto, nulla altera prompta erat poetæ. Nam χεροῖν si Rhes. 887 excepéris, semel tantum invenitur in fabulis Euripideis Ion. 1493 ubi χεροῖν quod libri manuscripti suppeditant, propter rationem metricam Heathius recte mutavit. Idem prorsus cadit in χερσί quod legitur et in primo senarii pede et distributum in primum et secundum, secundum et tertium, tertium et quartum pedem. Forma χείρεσσι epico stilo propria tantummodo Alc. 756 legitur inter tertium et quartum pedem divisa, ubi aetate fabulae defenditur.

1) μόνον τόδ' scribatur necesse est pro μόνῳ τῷδ', quam emendationem Usenerus mecum communicavit. Minus placet ή ν μόνῳ τῷδ' quod coniecit E. Tournier *rev. de philol.* I 1877 p. 273.

I. τί δρᾶν, τί χρῆσθαι, φράζε μοι, χρυσώματι; 1430

K. δέραια παιδὶ νεογόνῳ φέρειν, τέκνον.

I. ἔνεισιν οὖδε.

Quod in primo versu legitur, εὔτυχεῖς, tentare nolo quippe qua voce Ion apte indicet Creusam divinatione quadam adiutam telas superius paulo nominatas in eistula esse cognovisse. Certe non facio equidem cum Badhamio qui quod Piersonus Verisim. p. 13 coniecerat „εὔστοχεῖς“ genuinam lectionem esse censuit in textumque inculcavit: quod quam temere factum esset, demonstravit Herwerdenus qui sese metaphoricae potestatis vocabulorum εὔστοχος et εὔστοχως non cognita habere exempla Platone antiquiora profitetur, dum verbum εὔστοχεῖν non obcurrere videretur ante Polybium¹⁾. Quare pergit Piersonus surdis canere. In versu 1427 δράκοντε μαρμαίροντε insignis est Porsoni emendatio pro codicium scriptura δράκοντες ἀρχαῖον τι quae omni sensu caret. Quod Badhamius reposuit „σαρκάζοντε“ magis quidem adcedit ad litterarum ductus; quam male vero quadret dilacerandi notio ad imitamina serpentum quos ornamenti tantum loco haberi ostendit adiunetum παγχρύσω, neminem, opinor, fugiet.

Versui sequenti lenissimam medelam adhibuit Brodaeus ḥ mutato in ḥ. Interrogare igitur fingitur Ion, serpentesne illi donum sint Minervae quibus circumdari liberos educandos iusserit. Sed quia Ionem minime deceat responsis opem ferre Creusae, huic versum tribuendum esse censet Piersonus I. i. quem secutus Badhamius duos versus excidisse ratus est quorum alter hunc nostrum anteiisset, alter

1) Adhibet quidem Euripides verba εὔστοχος, εὔστοχία quae apud Aeschylum et Sophoclem nondum a dparent, sed semper significatione nativa: εὔστοχῳ πτερῷ Hel. 76; χεῖρ' εὔστοχον Herc. 195; ὀκοντιστήρες εὔστοχώτατοι Phoen. 140; λόγχῃ δ' ἄνδρες εὔστοχώτεροι fgm. 323, 2; εὔστοχως fgm. 616; τόξων εὔστοχία Iphig. Taur. 1238 sq.; χερὸς εὔστοχίαν Troad. 812.

secutus esset. Versus vero quos exempli gratia posuit, falsa tincti sunt opinione ornamentum illud liberorum constare ex anguis Erichthoniique imagine extrinsecus imposita: immo angues ipsi ad exemplum Erichthonii aut rectius custodum a Minerva ei additorum facti sunt. Neque vero non possum adsentiri Piersono; etsi enim Hermannus et Herwerdenus ad versum 1428 ex aliis fabulae locis demonstrarunt Ionem Atticorum mores et fabulas bene cognita habere, nego tamen Ionem in hac scaena ita ex Creusa sciscitari posse, ut responsum ipsa interrogatione contineatur. Itaque certum cum sit versum 1428 Creusae tribuendum esse, unum versum qui interrogationem Ionis continebat, intercidisse patet. Qui postquam periit et versus 1428 Ioni tributus est, ut staret stichomythia, intrusus est versus 1429 qui ad vs. 1428 ita non quadrat, ut potius talem solummodo quaestionem qualem versus 1426 exhibit, sequi potuerit: adcedit quod Ἐριχθονίου μυμάτα neglegentius dictum est pro „δρακόντων Ἐρ. μ.“ In versu 1430 et verbum δρᾶν ineptum est et grande dicendi genus quod duplaci interrogatione τί δρᾶν, τί χρῆσθαι expressum est, supervacaneum et cum sententia verborum aperte certat. Versu 1430 deleto ne vs. 1431 quidem stare potest. Haud scio an etiam vs. 1428 Euripidi denegandus sit, cum verba ή τέκν' ἐντρέφειν λέγει dura sint atque nimis quam redoleant stilum illius qui panxit versus 24 sqq.:

ὅθεν Ἐρεχθείδαις ἔκει
νόμος τις ἔστιν ὅφεσιν ἐν χρυσηλάτοις
τρέφειν τέκν' ¹⁾.

1) Versus 18—26 τρέφειν τέκν'. ἀλλ' alteri quam prologus nostrae fabulae expertus est, recensioni tribuendos esse puto genuino prologo ita intextos, ut versus quosdam Euripideos loco suo moverint aptumque cogitationum turbarint nexus quem ἀλλά illo 26 inserto interpolator frustra restituere conatus est. Voces ώς θανούμενον 18 (cf. ώς θανουμένῳ 27) et ἀλλ' 26 aperte interpolationis terminos monstrant.

Equidem nihil desidero versibus 1428—1431 expunctis quo facto illud ἔνεισιν οἵδε aptissime subsequitur verba δράκοντε μαρμαίροντε, eum si retinemus illos versus, οἵδε quo referendum sit, non videam.

7.

DE VERSIBUS 1575—1594.

In nulla praeter prologum Ionis fabulae parte interpolatorum audacia latius grassata est quam in exodio quod nimis diu tulerunt critici labē suppositicia infectum deformatumque esse. Certa enim media epilogi pars quae inde a versu 1575 usque ad 1594 porrigitur, manus interpolaticis vestigia continet. Quae ut deinceps singula proferamus, in initio ipso quae legimus verba οἱ τοῦδε γὰρ παῖδες τενόμενοι valde displicet quod parvo intervallo intercedente leviter tantum inflexa repetuntur 1581 sq.: οἱ τῶνδε δ' αὖ παῖδες τενόμενοι. Sequitur vs. 1577 in codicibus ita traditus: ἐπώνυμοι γῆς κάπιφυλίου χθονός | λαῶν ἔσονται in quo vox ἐπιφύλιος vexavit viros doctos quam cum χθών coniungi posse nego. Improbō enim quam Hermannus proposuit interpretationem qui ἐπιφύλιον χθόνα explicat per „tribubus permissam earumque potestati subjectam“; necessarium videtur cum Badhamio conrigere ἐπώνυμοι γῆς κάπιφύλιοι χθονός. „Quemadmodum ἐπώνυμος nominis auctor est, ita tribus auctor commode per ἐπιφύλιος exprimatur“. Sed restant tamen vituperanda: verba ἐπιφύλιοι χθονός λαῶν copiosius iusto dicta sunt, facile carere possumus aut voce χθονός aut λαῶν; utique vero cum Herwerdeno post λαῶν inserenda est vocula τ'. Χθονός etiam in extremo versu 1574 invenitur; ἐπιφύλιος

est ἀπαξ λεγόμενον. Versus 1579—1581 ex interpolatoris officina ita prodiisse puto:

Τελέων μὲν ἔσται πρῶτος ἐίτα δεύτερον *⟨ita Canterus pro deuterocoemus aut die deuterocoemus⟩*

“Οπλητες Ἀργαδῆς τ’, ἐμῆς δ’ *⟨δ’ inser. Kirchh.⟩* ἀπ’ αἰγίδος ἐν φύλον *⟨sic Herm. pro ἔμφυλον⟩* ἔξουσ’ Αἰγικορῆς.

Voluere quidam et inter 1579 atque 1580 et inter 1580 atque 1581 singulos versus lacunis haustos esse: sed post δεύτερον continuo nomen ipsum sequatur necesse est, neque quomodo nomen Αἰγικορῆς a verbis ἀπ’ αἰγίδος segregari potuerit toto versu, facile est intellectu.

Si iam cognovimus eum qui totum hunc locum composuit, strictae orationi parum studuisse, idem ne concinnitati quidem operam dedit; cum enim primi filii Ionis nomen Teleon posuerit, exspectamus dum etiam ceteros filios nominatim significet neque phylarum nomina Hopletas, Argadenses, Aegicorenses substituat. Tum nominis Αἰγικορῆς origo perquam incommode descripta est: desideratur ad verba ἀπ’ αἰγίδος aliquod participium e. gr. ἐπωνομασμένοι. Diximus de οἱ τῶνδε δ’ αὐτὸν παῖδες γενόμενοι. Pro δίδωσιν 1585 postulamus δώσει, ut γενήσεται 1589 pro γίγνεται. cf. ἔσται — ἔσονται — ἔσται — ἔξουσ’ — ἐποικήσουσι — κατοικήσουσιν — ἔξουσιν — ύμνηθήσεται — ἔσται — κάπισημανθήσεται. In versu 1586 non pulchre positum est κατοικήσουσιν, postquam 1583 dictum est ἐποικήσουσι. Ad vs. 1587 sq. τοῦδε δ’ ὄνόματος χάριν Ἰωνες ὄνομασθέντες valet idem quod ad ἐπιφύλιοι χθονὸς λαῶν τε notavimus: ὄνόματος prorsus supervacaneum est. Quaesita quidem neque tamen satis apta est vox ύμνηθήσεται 1590 quippe qua id quod dici debuit: „Dorus unde Dorica civitas nomen adcepit“ nullo modo exprimatur¹⁾). Reprehendendum porro est, quod

1) Iphig. Taur. 1456 sq.: Ἀρτεμιν δέ νιν βροτοί τὸ λοιπὸν ύμνησουσι Ταυροπόλον θεάν dissimile est.

1591 in verbis κατ' αἰῶν Πελοπίαν δ' ὁ δεύτερος eadem transitus ratio conspicitur atque 1579 εἴτα δεύτερον. Denique extrema verba: κάπισμανθήσεται κείνου κεκλήσθαι λαὸς ὄνομ' ἐπώνυμον <-v Kirchhoff. pro -σ> nimis quam lata et diffusa sunt; infinitivus epexegeticus κεκλήσθαι dure adiunctus verbo ἐπισημανθήσεται quod ipsum apud tragicos quidem nullo alio loco exstat; adpellandi notio per quattuor voces expressa est. Neque alibi, quod sciam, apud Aeschyl. Sophoc. Euripid. legitur κεκλήσθαι ὄνομ' ἐπώνυμον: ubi ὄνομ' ἐπώνυμον obcurrit, pro κεκλήσθαι posatum est εἶναι, ἔχειν¹⁾. Cum verbo καλεῖν s. ὄνομάζειν coniungitur aut ὄνομα aut ἐπώνυμος²⁾, nusquam utrumque.

Quae omnia iam si paucis comprehendimus vocem ἐπιφύλιος hic tantum inveniri, ἐπισημαίνειν nusquam alibi apud tragicos quidem poetas, malam repetitionem exstare in οἱ τοῦδε γὰρ παῖδες τενόμενοι — οἱ τῶνδε δ' αὖ παῖδες τενόμενοι, ἐποικήσουσι — κατοικήσουσιν, εἴτα δεύτερον — ὁ δεύτερος documentum ingenii ieipiū sterilisque, δίδωσιν et γίγνεται falso esse posita pro δώσει et τενήσεται, Τελεών- "Οπλητες, Ἀργαδῆς, Αἰγικορῆς parum concinna, ἐμῆς δ' ἀπ' αἰγίδος Αἰγικορῆς iure brevius et subobsecurum, vocem δύνηθήσεται non satis aptam esse, fusam denique abundantiam quae ferri non possit, conspici in ἐπώνυμοι τῆς κάπιφύλιοι χθονὸς λαῶν τ', τοῦδε δ' ὄνόματος χάριν ὄνομασθέντες, κάπισμανθήσεται κεκλήσθαι ὄνομ' ἐπώνυμον — haec si nobiscum reputamus, non possumus non conligere hosce versus non Euripideos esse et genuinos, sed a versificatore quodam insertos cui etiam prologi versus 74 sq.

1) cf. Aeschyl. Eumen. 8. Versus Eurip. Phoen. 636 sq. ab Hartungio recte deleti sunt.

2) ὄνομα καλεῖν <ὄνομάζειν> habes Soph. Oed. Col. 60 sq.; Philoct. 605; Eurip. Bacch. 276, Hecub. 1271, Herc. 31, Ion. 259, Cycl. 548. καλεῖν ἐπώνυμον Aeschyl. Prom. 85 sq.; Eurip. Electr. 1275, Orest. 1646.

qui iisdem vitiis laborant, tribuerim. Exstirpatis igitur ver-
sibus spuriis ceteri hunc in modum coëunt:

λαβούσα τόνδε παῖδα Κεκροπίαν χθόνα 1571

χώρει, Κρέουσα, κεὶς θρόνους τυραννικούς

ΐδρυσον' ἐκ γάρ τῶν Ἐρεχθέως τετάρτας

δίκαιος ἄρχειν τῆς ἐμῆς ὅδε χθονός. 1574

καλῶς δ' Ἀπόλλων πάντ' ἔπραξε. 1595

VITA.

Natus sum Ludovicus Carolus Enthoven Roterodami anno h. s. LVIII die IX mensis Mai patre Carolo matre Sara e gente Salomons. Fidei addictus sum evangelicae. In patria cum literarum elementis imbutus essem, anno LXIX parentes Cliviam, in oppidum Rhenanum, commigraverunt, ubi per septem annos gymnasii discipulus egregia usus sum disciplina Liesgangi, viri humanissimi, et Ludovici Tillmanns cuius mortem praematuram numquam lugere desinam. Aestate anni LXXVI maturitatis testimonio instructus parentes Bonnam secutus sum, cuius almae Musarum sedis civis esse ex quo coepi, nonum hoc est semenstre. Docuerunt me viri clarissimi Buecheler, Delius, Furtwaengler, R. Kekulé, Leo, I. B. Meyer, Neuhaeuser, Schaefer, Usener. In seminarium philologicum regium ut reciperer — cuius sodalis ordinarius fui per quattuor semestria, per unum senior — Buecheleri et Useneri benevolentia factum est; seminario historicorum me admisit Schaefer. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt epigraphicis Buecheler, archaeologicis Kekulé. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas; imprimitis vero grato semper pioque animo memoriam eolam Buecheleri, Kekuléi, Useneri qui viri qua benevolentia prorsus singulari ad hunc usque diem studia mea incitarunt promoveruntque, in posterum quoque me usurum esse sperare mihi liceat.

ATIV

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.
Versum Aeschyl. Sept. 25: ἐν ωσὶ νωμῶν καὶ φρεσίν,
πυρὸς δίχα conjectura Ritschelii: φάους δίχα nondum sanatum
esse censeo.

II.

In tribus Aeschyli fabulis Byzantinis per archetypum
codicis Guelferbytani ut optima vetustissimaque lectio codicis
Medicei sic omnia vitia recensionis saeculi XIII propagata
sunt in reliqua apographa, sive archetypum Guelfer-
bytani codicis ipsum recensionem illam expertum est sive
recepit plenam.

III.

In Aeschyli fabulis recensendis lectiones codicis Parisini
L, de cuius origine falsissima sibi persuasit M. A. Pierron
(*Annuaire de l'Association pour l'encouragement des études
grecques* 1869 p. 22—41), diligenter inspicienda comparandaque sunt, ubicumque cum ceteris apographis discrepat et de codicis Laurentiani scriptura non constat. Ante omnia autem necessarium est codicem L adequare denuo executi.

IV.

Euripid. Heraclid. 299 pro γαμεῖν conrigendum est
γάμων.

V.

Erechtheus in cognomine fabula Euripidea non moritur.

VI.

In schol. Hesiod. Op. 812 (edit. Vollbehr.): ὡς Φιλόχορος λέγει καὶ ἀμφότερος ἐξηγηταὶ τῶν πατρίων ἄνδρες, pro ἀμφότερος lege Ἀνδροτίων. cf. Harpoer. s. v. διαφήμισις.

VII.

Cic. de Invent. II 55, 166: „amplitudo potentiae aut maiestatis aut aliquarum copiarum magna abundantia; amicitia voluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipsius causa quem diligit, cum eius pari voluntate“, verba „rerum bonarum“ delenda sunt. Vertit Cicero Aristot. Rhetor. II c. 4 p. 1380 b 36 sqq.

VIII.

Quae priores de ratione inter Cornificii ad C. Herennium rhetoramicam et Ciceronis de Inventione libros intercedente recte statuerunt, pervertit Andreas Weidner (Cic. Artis Rhetor. Prolegg.) cui male adstipulatur Morawski (Zeitschrift f. d. österreich. Gymnas. XXXI 1880 p. 435 sqq.).

IX.

Quae apud Ciceronem de orat. nat. II 6, 16 exstat argumentatio Chrysippi, ex duabus conflata est conclusiōnibus per vocem „etenim“ a Tullio oscitante inter se consarcinatis. Priori deest clausula: „est igitur profecto deus“ post interrogationem: „id autem quid potius dixeris quam deum?“ adiungenda. Chrysippo tribuenda sunt sequentia quoque enuntiata § 17: „an vero — nonne plane desipere videare?“ cf. III 10, 25 sq.

X.

Ovid. Heroid. X 112 cum Mitscherlichio sic constituo:
 „aut simul aeterna nocte premenda fui“. „Semel“ codd.

XI.

Ovid. Trist. I 8, 47 sqq. ita conrigo:
 „Sed quoniam accedit fatalibus hoe quoque damnis,
 ut careant meritis <sic etiam cod. Petri Servii> tempora
 effice“. Cod. Florent. in vs. 48 exhibet: „numeris t. pr.
 malis“.

XII.

Quintil. III 1, 19: „Romanorum primus (quantum ego
 quidem sciam) condidit aliqua in hanc materiam M. Cato
 ille Censorius, post M. Antonius inchoavit; nam hoc solum
 opus eius atque id ipsum imperfectum manet“, post „in-
 choavit“ haec fere verba desiderantur: „in libello quem
 scripsit de ratione dicendi“. cf. Cie. Brut. 44, 163.

XIII.